IN SACROSAN-CTAM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI PASSIONEM breuis introductio, in decem partes digeſta.

AVTORE THEO-BALDO THAMERO.

A156

MOGVNTIAE,
Apud Franciſcum Behem, Anno
M. D. LXI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

IN PASSIONEM DOMINI NOſtri Ieſu Chriſti ſecundum Ioannem, Cap. 18. & 19. breuis introductio Theobaldi Thameri.

QVemadmodum in hac Eccleſiæ affecta ætate ac decrepita, fermè omnia de ſuo ſtatu & loco ſunt tranſlata in cõditionem deteriorem: ita & ſalutaris Domini noſtri Ieſu Chriſti paſsio, quaſi de ſua poſſeſsione dimota eſt, & fœdiſsimè deformata, ex qua tamen poſſeſsione nullus hæreticorum dominatus eam hactenus potuit deijcere, aut exturbare. Nam quotuſquiſq; eſt nunc ex doctorum vulgo, qui huius hiſtoriæ vim ſyncerè tractet, qui vſum eius germanum oſtendat, finemq́; verum ac legitimum rudi plebeculæ aperiat? Plærique enim omnes in hæc duo præcipuè incumbunt, vt vel ſuis hominibus, Chriſti, tanquam extremè afflicti recordatione, fletum moueant, Iudæisq́ue ex hoc ſcelere parent inuidiam, vel

ipſius Chriſti merito ſolam fidem paſſiuamque iuſtitiam introducant & ſtatuant. Illorum quidem imperitiam arguit Chriſtus, Luc. 23. cùm ait: Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros, &c Horum autem inſaniam tota Lex, omnesque Prophetę & Apoſtoli nuſquam non perſtringunt, arguunt, damnant. Nam quid poteſt cogitari vel inſaniùs vel dementiùs, quàm Ieſum Chriſtũ, qui factus eſt nobis ſapientia à deo, & iuſtitia & ſanctificatio & redemptio, cenſere atque profiteri, nos ſua paſſione, non quidem ſimpliciter à peccatis, ne poſt hac ea regnent in nobis, redemiſſe: ſed tantùm & ſimpliciter pro bonis operibus noſtris ſatisfeciſſe, nosq; ita ab hiſce liberaſſe ac redemiſſe, vt nunc ſola fide, in ipſis peccatis permanentes, abſque vllis bonis operibus, propter meritũ Chriſti extra nos peractum, coram Deo reputaremur iuſti? Prædicant enim & ſcribunt paſſim, ipſos iuſtos, id eſt, renatos, etiam Spiritu ſancto delibutos nil poſſe, niſi peccare, nec quicquam agere, quod faciat vel ad gloriam Dei, vel ſui iuſtificationem.

Hinc illud quaſi perpetuũ ſuæ Theologiæ

logiæ Axioma inter iſtos percrebuit: Solam fidem Deo (excluſa charitate & bonis operibus vniuerſis) ſuã tribuere gloriam. Imo eiuſmodi Doctorem, qui vrget & exigit charitatem, bonaque opera, vocant miniſtrum peccati, & iræ & mortis æternæ. Ita enim ſcribit Lutherus in cap. 2. Epiſtolæ ad Galat. Eſt, inquiens, miniſter peccati nihil aliud, quam Legiſlator ſeu exactor legis Dei, qui docet bona opera & charitatem, qui docet crucem & paſsionem ferendas, exemplum Chriſti Sanctorumq; imitandum, &c. Ecce tibi hîc (Chriſtiane Lector) adeo penitùs, dimouet, & tollit bona opera, dilectionem, exemplum Chriſti Sanctorumque, vt etiam docentem nos ea, habeat ac iudicet pro miniſtro peccati, iræ Dei, & mortis æternæ. Ergo Ieſus Chriſtus ſubminiſtrauit nobis peccatum, id eſt, Scorpionem pro ouo, & lapidem pro pane, quando nos dulciſsimis verbis inuitat, vt abs ſe diſcamus commodum ſubire iugum, vt ſuum exprimamus in diligẽdo exemplum, crucemque poſt eum ſuam quiſq; quotidie baiulemus, vt Deum patrem & Fratres diligamus, fructum deniq;, eumque copioſum, quo Deus glorificetur,

Luthe. ſuper illo ad Gala. 2. Et nos in Chriſtum Ieſum credimus.

Item ſuper illo: Quemadmodũ Abraham credidit Deo &c.

Luthe. ſuper verbo. Ergo Chriſtus miniſter peccati eſt. &c.

producamus? Et Paulus ille gentium do-
1. Cor. 10. ctor itidem ſeductor erit, quando nos ſu-
um, ſicut ipſe Chriſti exemplum, imitari
cohortatur, & per ſocietatem Spiritus,
Philip. 2. per viſcera miſerationum orat obſecrat-
que, vt idem affectus, & ſenſus ſit in no-
bis, qui eſt in Ieſu Chriſto? Conſimili
1. Pet. 2. modo & Apoſtolus Petrus Chriſti Ieſu
& 4. contaminauit paſsionem, quando ſcribit
eum paſſum eſſe pro nobis in exemplum,
vt ipſius ſequamur veſtigia? Ecquid po-
teſt eſſe hiſce deteſtabiliùs & magis abo-
minandum? An non longè multóq; me-
liùs foret Ieſum Chriſtum nunquam ve-
niſſe in carne, curámue noſtri ſuſcepiſſe,
quā nos miſeros nobis ita in peccatis de-
relinquere, neque morbum ignorantiæ
per verbum, neque infirmitatem carnis
per Spiritum curare, & à nobis depellere?
Ita certe. Vt enim ægroto Medicus, qui
morbū non remouet præter quam quod
inutilis, etiam grauis eſt & odioſus (Mal-
let enim æger, iſtum nunquam adhibuiſ-
ſe ſibi medicinam, quam re infecta, nunc
abs ſe ceu à deſperato recedere) ita & no-
bis Chriſtus ſuo aduentu, & meritorum
medicina plus damni & mœſtitiæ attu-
liſſet, quàm emolumenti & lętitiæ, ſiqui-
dem

dem nos non tantum à peccatorum morbis non recreâſſet, ſed inſuper etiam ab ipſa ſanitate, id eſt, bonis operibus liberaſſet & redemiſſet.

Ita enim explicant Chriſti meritum, vt id nobis in peccato verè manentibus ſola fide imputatum Deo ex toto ſatisfaciat, noſque ab omni bonorum operum debito in ſolidum apud Deum iam nunc in vno momento oculi liberârit. Vnde Lutherus hanc maximam, vt vocant, in ſua Theologia ſtatuit: Omnem Chriſtianum eſſe ſimul iuſtum & peccatorem, ſimul amicum & hoſtem Dei: Iuſtum quidem & amicum imputatiuè: Peccatorem verò & hoſtem Dei in veritate, &c. Quod ſi ita eſt, quomodo, quæſo, Dei omnipotentis res ſubſiſtet? An non omne Regnũ in ſe diuiſum deſolatur, & domus ſuper domum cadit? Cur edicit Dominus: Qui non eſt mecum, contra me eſt: Qui non colligit mecum, diſpergit? An is qui ſimul hoſtis & amicus tuus eſt, poterit tecum ſimpliciter & verè, ſicut Deus vult à nobis in veritate coli, congregare? Quid tum valebit illud: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, Deo & Mamonę? Quid item illud Pauli; Nulla, inquientis, eſt

concordia Belial cum Chriſto, nec communio luci cum tęnebris, templóue Dei, qui ſumus nos, cum idolis ac peccatis?

Vt igitur vnum baptiſma, vna fides, vnus ſpiritus eſt, qui totum hominem, animam iuxta ac corpus regit in Dei gloriam: ita omnino oportet à noſtris ceruicibus ſimpliciter & verè peccatorum iugum repulſum eſſe, noſque in integrum per Chriſti paſsionis medicinam in totum reſtitutos & ſeruos iuſtitię factos eſſe. Niſi fortè dicas, gratiam & donum in gratia infirmiora eſſe, quam delictum, & mortem ſuperare vitam, hominemq; Adamum præſtare Ieſu Chriſto, denique mundi Spiritum potentiorem & fortiorem eſſe ſancto in nobis habitante, cui ſane peruerſitati tota aduerſatur ſcriptura, Ioan. 4. Vos ex Deo eſtis filioli, & viciſtis eum. Quoniam maior eſt qui in nobis eſt, quam qui in mundo. Item, Chriſtus Ioan. 10. Non rapiet eos quiſquam de manu mea. Pater enim, qui dedit eos mihi, maior omnibus eſt. Imo vnum Ieſu Chriſti verbulum robuſtius eſt & potentius, quam omnes Spirituum immundorum, quos id ſæpenumero expulit, legiones. Ergo vt Chriſtus Diabolum, qui

cauſa eſt peccati, ſimpliciter ex hominibus eiecit, ita quoque oportet effectum iſtius, id eſt, peccatũ ſimpliciter eſſe ſublatum, noſq; nunc in Spiritu ſancto operantes coram Deo iuſtificari, filioſq; Dei fieri iuxta illud Rom. 8. Spiritus propter iuſtificationem, propter iuſtificationem, inquam, in nobis viuit, &c. In hoc enim ſolùm nobis datus & in noſtris cordibus diffuſus eſt Spiritus ſanctus, vt nos Deo, id eſt, iuſtitiæ reddat conformes, Ieſuque Chriſto incorporet nequaquam, vt ſolam fidem & paſsiuam iuſtitiam introducat. Aut ipſe dicas velim, cur à Patre Filioque procedat, nobiſque mittatur? Nonne vt nos imaginem terreni portantes tranſmutet in imaginem cœleſtis, & ex veteri creatura renouet, in omnemq; ducat veritatem?

Quare iſtud tuum de paſsione Chriſti dogma verè Antichriſti eſt: vtpote quod ex diametro repugnet ipſius Chriſti verbo & doctrinæ. Quandoquidem hic & per ſe & per Prophetas atque adeo Apoſtolos ſuos docet, quod verè languores noſtros ſuſtulerit, verè ſit vulneratus propter iniquitates noſtras, verè deniq; propter ſcelera noſtra attritus. Et tu cri-

minaris impuro iſto tuo ore, nobis impu tatiuè, neſcio per quam ſolam fidem, peccatorum remiſsioné contingere: & quidem tali ratione ac modo, vt ipſi verè maneamus peccatores, verè Dei hoſtes & verè ſceleroſi. Sed qualis, te amabò, tum redemptor eſt Chriſtus, ſi adhuc à Diaboli tyrannide, verè capti & oppreſsi detineamur? Certè qui vinculo peccati, etiamnunc eſt conſtrictus & irretitus, eum nemo, niſi inſanus, dixerit redemptum aut liberatú. Proinde tu, qui ſolus de Chriſti Ieſu redemptione gloriaris, & inſolentiùs cæteris te iactas, ſolus eam è medio tollis, & aboles.

Deinde, vt ipſe dominus nuſquam nó teſtatur, ſe in hoc ſolùm nos elegiſse, & à ſeruitute redemiſse peccatorum, vt eamus & fructum proferamus copioſum, noſtriſq; bonis operibus Deum patrem glorificemus: ita tu omninò contrarium aſſeris atque contendis, nempe quod nos peccatis inhærentes, ab ipſo bonorú operum redemerit fructu, Deoq; ita pro toto noſtro debito ſatisfecerit, vt nihil prorſus bonorum operum ad noſtri iuſtificationem pertineat: Quod quidem certè ſaluare aut redimere non eſt, ſed

dam-

damnare potiùs, pluribuſq; diuendere. Quicunque enim nos ab officijs pietatis & bonis operibus liberat, is neceſſe eſt, vendat nos peccatis, faciatque miſera & execranda impietatis variorumque vitiorum mancipia, iuxta illud: Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Rectiùs igitur Chriſtus, Ioan. 8. Si vos, inquit, Filius liberauerit, verè (verè inquam) liberi eritis, non ex parte aut imputatiuè, vt tu blaſphemas & calumniaris ſcripturam.

Ex his vtcunq; intelligi ac deprehendi poteſt, quomodo vtrique, & qui carnaliter & qui imputatiuè Chriſti conſiderant paſsionem, à ſcopo veritatis aberrent, & turpiter decipiantur: quanquam hi longè pernitioſiùs, quàm illi peccent. Nam qui dolore erga Chriſti indignam afflictionem afficiuntur ſecundum carnem, ſicut mulieres Ieroſolymitanæ, de ijs, adhuc quaſi de pueris, ſpes eſt, ipſos aliquando venturos ad verum intellectum, qui eſt, vt poſthac ſua ipſorum defleant peccata, & ſpirituales Iudęos, id eſt, carnales concupiſcentias, tanquam Chriſtocidas execrentur. Sed de illis alteris, qui ipſum ſpiritualem intellectum prorſus

ſus damnant, nec tantum Chriſti paſsionem, ſed reſurrectionem etiam de induſtria per ſolam fidem corrumpunt atque conſtuprãt, nulla amplius quatenus quidem ad verbum reuelatum, ſpes eſt, tanquam de Antichriſto, reſipiſcendi reliqua. Tametſi apud Deum omnia ſunt poſsibilia, vt qui poſsit, quando vult, & quatriduanos excitare Lazaros, & ex lapidibus filios Abrahami efficere.

Nos vero, qui velimus, legittimè & verè tum conſiderare, tum noſtram facere paſsionem Chriſti, probè meminerimus inconcuſſáque fide credamus, quod primo loco atq; principaliter paſſus ſit dominus noſter Ieſus Chriſtus, vt Deo patri vſque ad mortem eamq; ignominioſiſsimam obediret, & ita gloriam ſuam iniret, ſicut ſacra ſcriptura multis in locis locupletiſsimè teſtatur: vt de obedientia erga Patrem, Luc. 2. An neſciebatis, quod in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Et Ioan. 4. Meus cibus eſt, vt faciam voluntaté eius qui miſit me, vt perficiam opus eius. Item capit. 14. Diligo Patrem, & ſicut mandatum mihi dedit Pater, ita facio. Præterea Petro ſe propugnanti dicebat: Calicem, quem Pater mihi de-

hi dedit,non bibam?Hæbræis 5. Cùm eſſet Filius, tamen didicit ex his, quæ paſſus eſt,obedientiam, & conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi causa ſalutis. De gloria autem,quam ſibi paſsione acquiſiuit, legimus Luc. 24. Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & intrare in ſuam gloriam? Ioan. 13. Nunc glorificatus eſt Filius hominis, & Deus glorificatus eſt in eo. Math.28. Nunc data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Item Philip. 2. Humiliauit ſeipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium,terreſtrium, infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria Dei patris eſt.Et 1.Timoth. 3. Magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne,iuſtificatum in Spiritu, apparuit Angelis, prędicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſsumptum eſt in gloria. Item Hæbræ. 2. Eum, qui modico, quam ab Angelis minoratus eſt, videmus propter paſsionem mortis gloria & honore coronarona-

ronatum, vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem. Decebat enim eum propter quem omnia & per quẽ omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, autorem ſalutis eorum per paſsionẽ conſummari, &c. Ecce hîc diſertè ait apoſtolus Ieſum Chriſtum propter ſe, propter ſe inquam, & ſuam gloriam honoremque omnia paſsum eſſe, vt ſcilicet ipſe conſummaretur, ex quo & nos ſimul tanquã eius membra perficimur, dum Spiritu eius potati, ſapientiam & potentiam cum illo velut cum capite noſtro communicamus.

Nam impoſsibile fuit nos alia ratione vel liberari à tænebris mortis & peccato ignorantiæ, vel theſauros illos ſapientiæ & ſcientiæ hucuſque mundo abſconditos in lucem proferri nobiſque patefieri poſſe, quam per Filij vnigeniti mortem & quidem eiuſmodi ignominioſam. Atque vt primùm de diuitijs ipſius ſupereminentis charitatis dicã, quæ certè perfectiſsima, maxima, ſumma, nec eſſe nec cognoſci aliter potuit. Nam ſi Deus præſtantiſsimam creaturam, vt ſunt Angeli aut Archangeli pro nobis peccatoribus tradidiſſet in mortem, fuiſſet illa quidem maxi-

maxima dilectio: Sed tamen eiuſmodi, quę poſſet habere ſociam & parem. Idem enim poſſent & homines facere, vt pro ſeruo alium quempiam ſeruum impenderent. At dare Filium & quidem vnicum in mortem, eamque ignominoſiſſimam ꝓ nobis ſuis ſecundum tempus inimicis, & quidem ita, vt nos non tantùm liberaret à morte æterna, ſed inſuper etiam ſui vnigeniti Filij cohæredes, eoſque in bonis æternis conſtitueret: ea verò eſt ineffabilis, immenſa, diuina charitas, quę ſola poteſt in filio Dei eſſe, & manifeſta fieri per eiuſmodi mortem. Nam etſi Gabriel aut Michael pro nobis traditus fuiſſet, tamen infinitè propemodum minor nobis apparuiſſet dilectio, quam ſi vnigenitus Dei filius pro ſalute huius mundi immolatus eſt.

Vnde Chriſtus Luc. 24. Nonne hæc, inquit, oportebat Chriſtum pati & intrare in ſuam gloriam? Quæ quidem verba ſic intelligas: Deus vult habere maximam gloriam, quàm nihil tribuit ei verè, niſi maximæ virtutes. Hæ autem non ſunt nec poſſunt exercere abſque maxima ſui cognitione & ſcientia: Nemo enim qui ex ignorantia aut pręter volun-

tatem

tatem agit, ſecundũ virtutem agit. Hanc autem maximam virtuté omnium ſcientiam nullus poteſt aut debet reuelare alius, quã Ieſus Chriſtus verus Deus & homo: Alióqui magnam ſuæ gloriæ parté cum altero partiretur, nempè cum illo magiſtro & rabbi, qui nos hanc ſcientiã docuerat. Plurimùm enim debemus noſtris, vt ſcitis, præceptoribus, vtpote ijs, qui animum informârint & quaſi perfecerint. Igitur vt Deus ſolus vult habere omnem omnium gloriam, nec quicquã de ea transfert in quenquam: ita oportet eum iuxta verbũ reuelatum, non tam potentiam operandi ſecundum virtutes maximas, quam etiam ſcientiam earundé nobis conferre & communicare. Alioquin non eſſemus ſimpliciter & ex toto ad hanc ei tribuendam obligati. Dico autem ſecundum verbum reuelatum. Quia Deus ab initio potuerat aliter à nobis tandem maximam obtinere gloriam, ſi quidem ita voluiſſet: Sed nunc, vbi ita reuelauit, & promiſit ſuo verbo, tam eſt impoſsibile, vt eam alio atque hoc patiendi modo reuelet, quam eſt, vt nobis mentiatur.

Non tamen verbum (oportet) more

ſtoicorum eſt accipiendum, quaſi Deus fato ſit aſtrictus & alligatus: ſed de intima ſuæ gloriæ dilectione, quam quidem gloriam ipſe ſolus ſuo iure, tanquã creator & dominus omnium, poſsidet. Eſtq; talis locutio: Oportet me meum nomen contra hunc defendere: Alioqui notam ignominiæ incurram, &c. Hic nulla te externa cauſa cogit aut compellit, vt ita facias, ſed tu teipſe & tua gloria eſt tibi cauſa. Simili modo & Chriſtus hic dicit, ſe oportuiſſe hæc pati, & ita maximarum virtutum, ſcientiam proferre in lucem: Cæteroquin niſi ipſemet ita fuiſſet paſſus, ſed hoc negotij dediſset alteri, magnam certè ſuæ gloriæ partem amiſiſset, atque in eum, qui nobis eiuſmodi patefecerat ſcientiam, deriuâſset. Hinc eruditè concionatur Apoſtolus Petrus, Actor. 4. Non, inquiens, eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominib', in quo oporteat nos ſaluos fieri .i. ex nulla alia creatura poſſumus, hanc perfectiſsimam omnium virtutum ſcientiam comprehendere, nec in comprehenſa per quenquam alium, niſi per eiuſdem Spiritum viuere, Deoque fructificare, iuxta illud: Sine me nihil poteſtis facere, &c.

Idem & de dilectionis contrario, id eſt, maximo & perfectiſsimo odio cenſendum eſt, quod itidem maius & perfectius extare non potuit, quàm in Chriſti Ieſu paſsione eluxit. Nam ſi nos Deo aliquam ſuarum occidiſſemus creaturarum, tùm grauiſsimè quidé peccaſſemus in Dominum noſtrum, ſummúmq; odium exercuiſſemus: Nec tamen id vel cognoſceretur vel eſſet omnium maximum & crudeliſsimũ. Vtpote quod poſſet habere par aut etiam crudelius. At Filium & eum vnigenitum ad nos, vt ſummũ nobis beneficium præſtaret, miſſum, morte eáq; ignominioſiſsima afficere, nobiſque ipſius hæreditatem rapere & nos dominos eius conſtituere, hoc inquam vltra ſummum eſt & odium ferè infinitum. Sic ſcilicet Deum nemo vidit vnquam, ſed vnigenitus Filius, qui in ſinu Patris eſt, ipſe enarrauit.

Nec diſsimili ratione ſe habet comprehenſio, etiam in cæteris virtutibus & vitijs maximis, cuiuſmodi ſunt iuſtitia, patientia, ſapientia, & è contrario peccatum, impatientia, ſtultitia, &c. quæ omnia ex nullo alio præter Ieſum Chriſtum diſci aut compræhendi poſſunt. Vnde

haud iniuria, Matth. 23. prohibet diſcipulos, ſibi nomen Rabbi aſſumere, ſed ſe ſolum vult noſtrũ verum Rabbi agnoſci & coli. Nam ſi Deus paſſus fuiſſet ſibi vel excellentiſsimam creaturam occidi, valde quidem patiens extitiſſet: Sed tamen nondum omnium patientiſsimus. Idem enim & alius quiſpiam ſufferre potuiſſet æquo animo. At à nobis ſuis ſeruis, quos in vno oculi momento potuiſſet perdere, adhuc ſuſtinere vt non Michaelem illum Archangelum, ſed filium, & quidem vnicum tam fœda & indigna, imò fœdiſſima & indigniſsima morte afficiamus, idque per multa annorum millia (Eſt enim Agnus ab initio mundi mactatus, Apocalipſes 13. capit.) & quidem tantiſper, quoad nos agnitis peccatis, ipſi iterum reconciliemur, hæc inquam, patientia ſolius Dei eſt, & ab eodem ſolo diſcitur atque percipitur.

Porrò iuſtitia eſt æquiſsimè ſuum cuique tribuere, bonis premium, malis pœnam, néue culpa, néue premium ſit diſpar & inæquale facinori. Tum enim ſi paria imparibus, & perfecta imperfectis: aut è contrario, imparia paribus, & imperfecta perfectis adiudicantur, peccatum

veriùs quam iuſtitiam dixeris. Iam verò ſi Deus mundum hunc in iuſtitia vult iudicare, vti nobis in ſuo verbo paſsim reuelauit, hoc eſt, vel æternam mercedem bonis attribuere, vel malis ſempiternam pœnam irrogare, oportet, in quē & propter quem omnia ſiue bona ſiue mala facimus, eſſe quoque Deum æternum: Cæteroquin ſi in creaturam, id eſt, rem non æternam peccâſſemus, quī poſſet nos iuſtè æterno ſupplicio afficere: vel ſi propter ipſam creaturā bona fuiſſemus operati, vitam æternam adiudicare? An non tum maior & atrocior pæna, quàm culpa foret, atq; premium diſpar labori? Hinc Chriſtus Matth. 25. Ego, inquit, eſuriui, & dediſtis mihi cibum: Ego ſitiui, & dediſtis mihi potum: Ego hoſpes eram, & collegiſtis me: Ego nudus, & operuiſtis me, &c. Et Actor. 9. Saul, Saul (ait) quare me perſequeris? &c. Non ponit creaturam, ob cuius vel cultum vel contemptū nobis iniuſtè ſanè vel vita ęterna vel pœna æterna adiudicabitur: vtpote quę per ſe non ſit æterna. Quare vt maxima Dei iuſtitia & rurſus maximum peccatum innoteſceret mundo, neceſſe eſt eum quem occiderunt, fuiſſe regem glorię. Alióqui
nos

Digitized by Google

nos nondum maximam Dei cognouiſſemus iuſtitiam, nec etiam ipſi mali & impij iure, tanquam in Spiritum ſanctum peccâſſent, æterna morte mulctari poſſent.

Haud ſecùs & ſapientiam maximã deprehendes ex ſolius Ieſu Chriſti paſsione. Siquidẽ ſapientia eſt, cauſam & vſum omnium rerum ita ſcire & perſpectum habere, vt illas in rem tuam optimè conuertas. Vnde prouerbij locum obtinet: Sapiens omnia frugi facit. Iam vero (te interrogo) vter ſapientior ẽ architectus, iſne, qui ex bono tantùm ligno poteſt bonam domũ extruere, an ille qui etiam ex malo & curuo? Ex quo ſequitur, eum qui ex diſtortiſsimo & maximè curuo ligno rectiſsimam & optimam domum exædificat, oportere iure eſſe & cenſeri omnium ſapientiſsimum. Igitur & homines fierent materia maximæ Dei ſapientiæ, neceſſum fuit eos omnium diſtortiſsimos truncos & maximos peccatores effectos, vt ipſe in horum recreatione aut extructione in templum ſuum ſanctum, ſapientiſsimus cognoſceretur opifex & architectus. Cæterùm maximi peccatores minimè forẽt, ſi in creaturam quam-

uis excellentem peccâſſent. Longè enim trocius & maius eſt, in ſuum creatorem rri, quam in ipſius opus. Ex his perſpitur, quomodo & in Filio ſolo ſapientię ıeſaurus reconditus ſit, quem & ipſe ſolus poteſt aperire & in lucé proferre, vtote qui ſolus habeat clauem Dauidis, (ui aperit & nemo claudit.

Econtrario verò qui poteſt quicquam vel cogitatione depingi aut informari ſtultiùs, quam hominem, qui cum ratione creatus eſt, & tot annorum ſecula per creaturas per Moyſen & Prophetas: Item per Chriſtum & Apoſtolos eruditus, in quo & Deus viuit, quẽ et mouet & in quo eſt: Attamen non tantùm hunc non cognoſcere, ſed inſuper etiam tanquam ſceleratiſsimum latronem damnare, cruciq; ſuffigere? Certè nulla ex creaturis vniuerſis ita deſipit, vt taliter in ſuum patrem & beneficum deſæuiat. Etſi vipera matris ſuæ aluum perforet, eamq́ue enecet, tamen longè minus eſt, quàm quod nos deſignauimus. Ea enim nec ratione prædita eſt, necdum matris ſenſit beneficia, neq; conſuetudine ipſius natura praua condocefacta & erudita eſt. Eoq́ue & hinc (dico ex cæde Chriſti) etiam maxima

ſtultitia

tia exiſtit, quã eandem oportet nos ...re cognitam, ſicut cætera maxima vitia, vt poſthac ea velut peſtem & diabolum fugiamus. Alióqui vt Chriſtus Ieſus nõ ampliùs moritur, nec aliud quam hoc Euangelium prædicabit, ita & de nobis in æternũ actum erit, niſi verè vindicati & redempti ab hiſce peccatis per ipſius paſsionem poſthac in charitate, patientia, iuſtitia, ſapientia maxima, quæ ſimul ibidem patefactæ & in lucem productæ ſunt, Deo per Spiritũ ſanctum perpetuò fructificemus. Ita enim mirabilis Dei diſpenſatio eſt, vt interim dum Filius per paſsionem Patri obediuit, & in ſuam ipſius gloriam intrauit, pro nobis quoque paſſus ſit, noſque per patefactionem, maximarum, vt iam oſtendi, virtutum & vitiorum, è regno eripuerit tenebrarum, à diaboli tyrannide redemerit, viam fecerit ad ſalutem, perfregerit infernũ, deum per apoſtaſiam nr̃am offenſum reconciliauit, breuiter, ſequentib⁹ ſuum exemplũ æterna ꝓmiſerit bona & regnũ cœlorũ.

Ex quo emergit, nobiſque fit euidens, quantum nunc Ieſu Chriſto pro tam immenſis & ineffabilibus debeamus beneficijs. Nam etſi Deus nobis nil præſtitiſſet,

 niſi

niſi creationem ex nihilo, tamen ei deberemus nos totos, longeque arctiùs, quàm noſtris parentibus, qui ex ipſius ordinatione, nos tantùm genuerunt, aſtricti eſſemus: Sed nunc, quoniam non modò nos creauit, verum etiam ad ſibi ſeruiendum (ſeu vt Moyſes ait) ad paradyſum colendum creauit (Sumus enim conditi ad bona opera, Epheſ. 2.) idcirco longè ampliùs Deo obligati ſumus, quàm etiã tui ſerui tibi, qui certè non ſunt ad tuam ſeruitutem creati, ſed duntaxat mercede abs te conducti. Igitur & nos, quos ſuo paradyſo, id eſt, præſtãtiſsimis bonis prę̨fecit, poſteaquam ipſius præcepta transgreſsi ſumus, iure & iram maiorẽ in nos prouocauimus, quam alij ſerui in hoc mundo, pręſertim quando hoc, quod Deus nobis præcepit, admodum facile fuit ſeruatu, ſicut reuera illud Adami noſtri primi parentis præceptum, quod profectò non potuit, niſi ex mera libidine & petulantia non ſeruare, habebat enim ſatis abundéque in paradyſo, etſi de hoc ligno non ediſſet.

Vnde efficitur, ſi in hoc minimo mandato fideles non fuimus, ſed illud petulanter ac proteruè perfregimus, quod nulla

nulla nunc amplius nobis fides habenda eſſet in magnis, ſiquidem rationē & verbum ſcriptum ſequi vellet Deus, nec ex mera potius gratia nobiſcum agere, priorumque iniquitatum obliuiſci. Ita enim ait Chriſtus Luc. 16. Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt: Et qui in modico iniquus, & in maiori iniquus eſt: Si non potuimus nobis temperare ab eſu vnius pomi, cum affluerentus omnigenis fructibus, pœnamque ingentem videremus transgreſſoribus paratam, & ob oculos verſari, quid, obſecro, cenſendum eſt, ſi inedia laboraſſemus atque periculum mortis Dei nomine ſubeundum fuiſſet? Quapropter Deus potuiſſet nos ceu apoſtatas inutiles ſub hoc peccati iugo & ſeruitute, cui nos petulatiſsimè ſubiecimus, in æternum, quatenus ad verbū reuelatum, deſerere. Nunc autem, quoniam nos periuros non ſolùm in gratiam recepit ſuiſque pretioſis bonis præfecit, verumetiā ſanguine vnigeniti Filij morteque ignominioſiſsima redemit, inſuperque ingentia promiſſa facit, quæ ad vitam pertinent æternam, ideo ſequitur nos ſummo cum timore & tremore noſtram ipſorum debere operari ſalutem,

ſidemque exactiſsimam & maximam præſtare in bonis commiſsis, ne fortè in deteriorem morbum recidamus, fiantque poſtrema noſtra ipſis primis deteriora.

Huc facit concio Chriſti, quam habet ad mulieres caſum mortis ſuæ commiſerantes, vbi inter cætera ſic ait: Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Perinde ac ſi dicat: Si ego, qui non vt vos, ad ſeruiendum creatus ſum, nec à Patre vnquam defeci, ſed cuncta mandata eius accuratiſsimè ſeruaui, tamē vt ipſius gloriam illuſtrem, hæc adeò acerba oportet me perpeti, quantò plura & acerbiora vôs, qui ceu lignum aridum ad patiendum & laborandum conditi, hacque mea morte etiam redempti eſtis, debetis perferre & ſuſtinere? Item 1. Ioan. 3. Si ille animam poſuit pro nobis, quantò magis nos debemus, debemus inquam, animas noſtras pro fratribus ponere? Præterea Hæbræ. 12. Deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, reſpicientes in autorem fidei & conſummatorem Ieſum, &c. Nam ſi dux pro te ſuo milite vnum accepit vulnus, tum, niſi tu vicisſim ipſius nomine ſex

aut plura ſuſtineas,ab omnibus tanquam periurus haberis & damnaris.Iam ſi Chriſtus Ieſus Dominus & dux fidei noſtræ, non quidem vnum, ſed infinita vulnera, imò mortem, eamque crucis pro nobis oppetijt, nónne ipſi viciſsim debemus infinities infinita ꝓ illo ſuſtinere & perpeti? Alióqui fideles ſerui nunquam iudicabimur. Quapropter veriſsimum eſt illud, 1. Petri 4. Vix iuſtus ſaluabitur, vbi impius apparebit? Item illud Chriſti, Matth. 7. & Luc. 13. Quam anguſta, inquientis, porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam. Item Luc. 14. Qui non baiulat crucem ſuam quotidie & ſequitur me, non poteſt eſſe meus diſcipulus. Et Paulus 2. Timoth. 2. Fidelis, inquit, ſermo eſt. Si commortui ſumus & conuiuemus: Si ſuſtinebimus & conregnabimus: Si negauerimus, & ille negabit nos, &c.

Quare verus finis paſsionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem nos Catholici, ſemper in cōſpectu habeamus, eſt, vt per patefactionē maximarum virtutum dilectionis, patientiæ, iuſtitiæ, ſapientiæ, itēq; maximorū vitiorū odij, impatientiæ,

pec-

peccati,ſtultitiæ,&c. ab ignorantia & regno tænebrarum liberati tanquam in typo diſcamus & perſpiciamus,quia & quãtum Deo patri pro ſuis infinitis beneficijs debeamus,& an vt datum nobis fuit, iuxta menſuram fidei noſtra talenta collocauerimus. Si repræhenderit nos cor noſtrũ & ſentiamus nos culpabiles, mox confugientes ad thronũ gratiæ oremus: Remitte nobis debita noſtra. Multa enim (hęu nobis) quę debuimus tibi pręſtare, ex infirmitate carnis omiſimus. Ignoſce, quæſo, domine pater poſthac futuri ſumus,ne idem nobis accidat,cautiores. Sin autem cor noſtrum non repræhenderit, fiduciam habemus apud Deum, vt quicquid petierimns ab ipſo ſimus accepturi, nimirum per Chriſtum dominum noſtrum, in quo omnia nobis donata ſunt per obedientiam ipſi incorporatis. Hoc pacto diſcamus, ex Chriſti paſsione illud Apoſtoli Romanis 8. Ergo fratres, inquientis, debitores ſumus non carni,vt ſecundum carnem viuamus (Tum enim Chriſtus pro noſtris peccatis nondum eſſet paſſus aut mortuus) ſed vt facta carnis Spiritu mortificemus, ad exemplum ipſius, qui pro nobis paſſus
eſt:

eſt: Quicunque enim Spiritu Chriſti du-
cuntur, hi ſunt filij Dei, & qui item pro
ſuo dono compatiuntur Chriſto, hi &
conregnabunt & glorificabuntur.

Per ſuam igitur crucem non ſe nobis, ſed nos ſibi redemit in gloriam, & tanq̃ ſeruos ad maximam fidem præſtandam obſtrinxit, vt ſcilicet poſthac nihil omninò quæramus niſi ſuperna & cœleſtia, nec quicquam aliud, ac ipſi placet acceptumque eſt, ſapiamus, idque longè pleniore obſequio ac fide, quàm vulgus ciuilium ſeruorum, qui duntaxat à ſuis dominis vel empti vel certa mercede conducti ſunt. Nam vt ille ſeruus, qui abs te deficit ad tuos hoſtes, ſi eum iterum redimas, longè tibi debet diligentiùs ac fideliùs ſeruire, quàm alius quiſpiam, quẽ nunquam habuiſti ſub tua poteſtate, aut ab hoſtibus redemiſti: ſic & nos Deo nũc debemus multò, multò plura atq; maiora, quam ſi permanſiſſemus integri in paradyſo, nec vnquam fuiſſemus à peccato per ipſum redempti, iuxta illud Luc. 7. Cui plus condonauit, hic & plus diligat oportet. Alióqui iniuſtus erit & perfidiam incurret, niſi maiorem cæteris præſtiterit fidem. Deus non ignorauit cau-

ſam,

ſam, quamobrem permiſerit hominem à ſe deficere & à paradyſo exulare, ſicut nec ille pater, qui cum filio perdito ſuam diuiſit ſubſtantiam, Luc. 15.

Quod autem non pro nobis operibus noſtris Chriſtus Ieſus ſatisfecerit Deo, nec nos ideo redemerit, vt ipſi nobiſmetipſis viuentes ei ſolam fidem, vt nunc volunt, tribuamus, ſed vt tanquam fideliſſimi ſerui, per omnes dies vitæ noſtræ, ei noſtro domino ac redemptori ſeruiamus in maxima iuſtitia & ſanctitate, tanq̃ ij, qui & maximo prætio redempti ſumus, infinitis fermè ſcripturæ locis aſſeri poteſt, præſertim ex Apoſtolo Paulo, qui apertè dicit: Nos non amplius eſſe noſtri iuris. Vtpotè qui prætio, eoque ſummo comparati ſimus, vt 1. Cor. 6. An neſcitis, ꝙ corpora noſtra membra Chriſti ſunt? Tollens ergo mẽbra Chriſti, facies membra meretricis .i. carnis? Et ibidem: An neſcitis quod membra veſtra templũ ſpiritus ſancti ſunt, qui in uobis eſt, quẽ habetis à Deo, nec eſtis veſtri iuris? Empti enim eſtis prętio, glorificate igitur & portate Deum in corpore veſtro & in ſpiritu veſtro, quæ nunc Dei ſunt, 2. Cor. 5. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt qui viuunt,

runt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit. Roma. 7. Itaque, fratres mei, & vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti, vt ſitis alterius qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificetis Deo. 1. Petri 1. Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ ſobrij, perfecti, ſperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam in reuelationẽ Ieſu Chriſti, quaſi Filij obedientię, non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſiderijs, ſed ſecundum eum qui vocauit vos ſanctum, vt & ipſi in omni conuerſatione ſancti ſitis, quia ſcriptum eſt: Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum. Et ſi Patrem inuocatis eum, qui ſine acceptione perſonarum iudicat ſecundum vniuſcuiuſque opus, in timore incolatus noſtri tempore conuerſamini, ſcientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed prætioſo ſanguine, quaſi agni incontaminati & immaculati Chriſti, &c.

Sed ecce tibi Lutheranorũ inſaniam, qua capti & faſcinati, docent nos nobis per paſsionem & mortem Chiſti redemptos eſſe, hoc eſt, nos à ſeruitute iuſtitiæ

Dei ita liberatos, vt ipſi etiam nunc in peccatis exiſtentes, per meritum Chriſti, Sola fide nobis imputatum, abſque vllis bonis operibus corã Deo ſimus iuſti, &c. quo profecto vix quicquam in medium protuleris dementiùs. Nam ipſa natura docet animantia, quò quis plura beneficia ipſis confert, eò ſe plus debere ſeruire & diligere, ſicut ſuæ quiſque domi experimur in iumentis. Vacca quò abundantiùs paſcitur, eò diſtentiùs fert vber. Equus bene abs te paſtus non modò te libentiùs recipit aſcenſorem, verumẽtiam alacriùs tecum incedit. Et tu dño Deo, qui te creauit, paſcit, erudiuit, venditum tua culpa à Diabolo redemit, & quidem cariſsimè, hoc eſt, vnigeniti Filij pretioſo ſanguine nihil vis præſtare, nihil ſeruire, nihil fructus proferre, ſed tantum accipere ab eo, & libertate carnis, hoc eſt, bonorum operum gaudere atq; perfrui. Cùm tamen interim non poſsis non ſcire, aut potius manibus contrectare, quod res, quò maiori prætio comparata eſt, eò debeat, & plus domino ſuo prodeſſe & fructum ferre vberiorem. Alióqui ipſo facto iniuſta eſt, nec tibi ſuo domino ſatisfacit. Hinc Luc. 17. Et ſi omnia, inquit Chri-

Chriſtus, feceritis, quæ vobis præcepta ſunt; tamen dicite, ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus, &c. Perinde, ac ſi diceret: Vos in ea conditione eſtis & tantopere domino Deo obligati, non tam ob creationem, quàm etiam redemptionem ac Spiritus ſancti donationem; vt licet maiorem, quam vllus cogitari poteſt, fidem pręſtetis in talentis cuique commiſsis: tamen nunq̃ poſsitis ei pares referre gratias, aut pro tantis beneficijs ſatisfacere. Sed nunc monopiſtę, ita inſaniunt, vt arbitrentur ſe nullo omnino præceptum dei ſeruantes, abſq; vniuerſis operibus bonis coram Deo forè vtiles & ſola fide iri iuſtificatum. Item Philip. 2. Chariſsimi, cum timore & tremore veſtrã ipſorũ operamini ſalutem. Eſt enim horrendum in manum dei omnipotentis incidere, vbi vix iuſtus, vt dixi, qui omnia facit, ſaluabitur.

Ex his paucis, quæ hactenus delibauimus, verus Chriſti paſsionis finis vtcunq; elucet, quẽ ſi tali ratione ſibi propoſuiſſent Lutherani, haud dubiò non ita redundâſſet in nobis iniquitas, nec charitas vſque eò refrixiſſet. Nunc autem, quoniam prorſus contrarium, vt omnibus eui-

dens eſt, vulgo imperito inculcatũ prędicando tũ ſcribendo, ideo reuera negãt Ieſum Chriſtũ non modò vnq̃ paſſum eſſe, ſed ne in carne quidẽ vnquam veniſſe, hominémue factũ fuiſſe. Quia, ſi adhuc ita hęrem⁹ in peccato, vt nil omnino poſsim⁹ boni aut iuſti agere, ſicut apertè ſcribunt & fatẽtur, quid ꝓfuit nobis ipſius Chriſti incarnatio? Quandoquidẽ adhuc in priori cõditiõe & corrupta natura verſamur.

Deus non permiſit hominẽ labi in paradyſo, nec ex eodẽ illum expulit, vt nil boni vnq̃ vel poſſet, vel deberet facere, ſed potiùs, vt varijs fortunæ procellis iactatus, plus boni & poſſet & deberet præſtare, quemadmodũ clarè indicat hiſtoria de filio perdito, Luc. 15. cũ quo ſanè pater non ideo diuiſit ſubſtantiã, vt periret aut nihil boni diſceret (Quid eiuſmodi patre fuiſſet monſtroſius & ſceleratius?) ſed vt melior euaderet, atq; reuerteretur ad res gerendas doctior. Nã Deus pater ab ęternis ſeculis propoſuit ſibi, quod velit hominẽ ad gloriam ſuam maximã illuſtrandã arctiſsimè obligare & aſtringere. Hoc autem nõ potuit aliter, quatenus ſcilicet ad verbum reuelatum attinet, quàm ſi ita ſineret hoĩem ſua voluntate in leuiſsimo omnium præcepto impingere, atque à ſe

defi-

deficere, vt ſi eum ſuo tempore omnium maximo pretio iterum redimeret, is omnium maximè obligatus & deuinctus eſſet. Seruus enim qui ſuapte ſpontè abs te transfugiens in manus crudeliſsimorum hoſtium incidit, poſthac longè plura debet tibi, ſi ipſum cariſsimè iterũ redimas, quam ſi ſemper in ſuo officio permanſiſſet conſtans, nec vnquam abs te fuiſſet redemptus. Hinc ipſe ait: Nonne oportebat Chriſtum hæc pati, & intrare in ſuã gloriam, videlicet maximã & perfectiſsimã? Niſi enim Deus hominẽ, ad ſibi ſeruiendum, ab initio creâſſet, nec ei uſmodi facilè, quod ſeruaret, dediſſet pręceptũ, nec item tranſgreſſorem ſummo pretio redemiſſet, atq; inſuper ſpiritu ſancto donaſſet, vt nũc verè dicere poſſet: Quid debui amplius facere vineę meę, & nõ feci, &c. tùm certè homini os obturare, aut omnium maximo debito, ad fidẽ maximã pręſtandã ſibi obſtringere nequiſſet. Vtpote qui ſemper habuiſſet excuſationẽ & crephygetum, qđ ſuę perfidię pretendiſſet.

Tantum itaque abeſt, vt lapſus Adami impediat bona opera, ſicut vos imaginamini, vt etiam plurimùm ad ea pręſtanda & perficienda nos inflãmet, promoueat,

& adiuuet. Quid, quæſo, magis ſalutare fuit filio perdito, quàm quod ita deſtitutus à patre ad extremam paupertaté fuerit redactus? Certè nunquam tanta humilitate ſe patri abſque hac ſubieciſſet. Quid item Mariæ illi Magdalenę ſua impuritas? Nónne quia ei donata ſunt multa, vt & ipſa viciſsim poſthac multùm diligat? Sic & Petro lapſus profuit, vt poſtea ſuos fratres amplius cōfirmârit mortemque animo longè fortiori, quàm ſi nunquam adeò turpiter cecidiſſet, pro ſuo domino oppetierit. Hoc pacto Deus concludit omnes ſub peccatum, non vt ſemper in peccatis permaneamus, ad omne bonum opus corrupti, ſed vt omnium miſereatur, id eſt, vt nos omnes moueat & idoneos reddat ad miſericordiam maximam amplectendam, noſtramque ipſorum ſalutem operandam, &c. Deus enim pater nullius miſeretur, niſi poſt vocationem ita viuat, vt miſericordia æterna dignus ſit. Alióqui προσωποληπτικὸς foret, & contra verbum reuelatū ageret, ſi vellet abſq; operibus, iuxta quæ mundum eſt iudicaturus, miſericordiam cuiquam pręſtare. Ita enim ipſe patefecit nobis: Beati, inquiens, miſericordes: Quoniam

niam ipſi miſericordiam conſequentur, &c. Alij autem qui ſolúmmodo credunt Deum fore ſibi miſericordem, nec ipſam miſericordiam exercent, iudicium abſq; miſericordia ſuſtinebunt, Iacob. 2.

Sed de cauſa & vtilitate lapſus, itemq; de peccato originali dicemus ſuo loco. Nunc ſufficit nobis aperuiſſe & euiciſſe, quod finis & cauſa paſsionis Ieſu Chriſti non ſit, vt nos in peccatis verè manentes à bonis operibus, per hanc apud Deum redimamur, ſed potius vt à peccatis ſanati & reparati poſthac ad plura & maiora & perfectiora officia præſtanda obligemur, vereque efficiamur iuſtitiæ ſerui & debitores, iuxta illud: Debitores eſtis, videlicet maximi. Quò enim ſeruus eſt cariùs ab hoſtibus, ijſque crudeliſsimis recuperatus, ſibique plura, quæ adminiſtret à domino commiſsa, eò maiorem fidem præſtet: Cæteróquin omnium ſanorum iudicio maxima ſe onerabit perfidia: Vt pote cui & maxima mandata verbo & exemplo, quæ contempſit, data fuerint. Maximam enim & perfectiſsimam dilectionem, iuſtitiam, patientiam, ſapientiam, ſua paſsione, vt ſuprà copioſè oſtenſum eſt, notas nobis fecit Chriſtus,

Hocque exemplum præcepit nobis imitandum. Proinde verè & arctiſsimè nos ſibi obſtrinxit per mortẽ, ſeruoſq; ſummæ obedientiæ atque adeò omnium virtutum conſtituit, vt niſi in poſterum magis abundauerit noſtra iuſtitia, fides, quã cæterorum hominum, etiam iuſtiſsimorum ſecundum legem, certè nunq̃ vitam hæreditaturi ſumus æternam, quod quidem malum auertat à nobis Deus pater per Filium in Spiritu ſancto, Amen.

PARTITIO TEXTVS SEcundum intellectum literalem.

Cæterùm, vt ad hunc nobis propoſitum, finem & ſcopum fœliciùs peruenire queam⁹, oportet nos ſequi ipſius hiſtorię cõtextum & ſeriem, tanq̃ Theſei cuiuſdam filum. In hoc enim hiſtoria nobis præſcripta & à Deo per manus patrũ ttadita eſt, vt ipſius adminiculo paulatim ab illa, quæ ſurſum ſunt, perducamur: non vt in litera occidente conſeneſcamus. Diuidemus igitur hiſtoriam, vt à Ioanne Euangeliſta deſcribitur, in decẽ partes. In prima

ma aperitur occaſio proditionis, quā na-
ctus Iudas, illum miniſtris Sacerdotū tra-
didit. Itē potentia verbi, qua omnes ſunt
proſtrati hoſtes veritatis: Adhęc Petri iu-
uenilis ferocia, qua Dominum, ſecundū
carnē, gladio conabatur defendere. Huc
licebit tibi accerſere, quæ de modo pro-
ditionis referunt cæteri Euangeliſtæ. Hi
enim tradunt Iſcariotē conueniſſe Pon-
tifices, & triginta argenteis pactum, &c.
Item ſymbolum ipſis dediſſe oſculum, vt
quē ipſe primus oſcularet, is ipſe eſſet &c.

Secunda pars continet ea, quæ accide-
runt apud Hannam, ſocerū Caiaphæ, de
quo reliqui euangeliſtę nil meminerunt,
ſed ſcribunt eum recta ad Caiapham eſſe
perductū. Apud Hannam igitur & Caia-
pham duo potiſsimum, teſte Ioanne, con-
tigerunt. Prius eſt de trina Petri denega-
tione. Hic em̄ à diſcipulo pontifici noto
introduct⁹ in atriū, primò coram ancilla;
deinde coram ſeruis pontificis, extremò
coram Malchi cognato ter, ſuum domi-
nū denegauit. Poſteriùs eſt de pontificis
interrogatione & alapa, quā ſeruus pon-
tificis impegit Chriſto, præter omne me-
ritū, quę quidē hiſtoriæ eſt ſolius Ioan̄is.
Mattheus aūt & reliqui duo Euangeliſtæ

 deſcri-

deſcribunt prolixè, quib' iniurijs & conuitijs affectus fuerit, nunc à militibus, qui percuſſa facie & oculis obuelatis iuberent diuinare, à quonam eſſet cæſus, &c. nunc verò falſis teſtibus criminatus, quos pontifex in hoc pecunia conduxerat, &c.

Tertia pars refert ea, quæ die ſequenti geſta ſunt, quomodo ſeculari magiſtratui, Pontio Pilato, ſit traditus. Hic Ioannes ſimpliciter narrat proceſſum, quem iudex ſeruauit: Ait, eum bis ad Iudæos, qui recuſabant in prætorium aſcendere, ne contaminarétur, egreſſum eſſe: ſemel, quando petebat, vt iuſtam in eum afferrent cauſam, iterum, quando eis proponebat conſuetudinem Feſti, in quo vnus ex captiuis ſolenniter dimittebatur. Sed iſti Barrabam latronem, quam ſuum germanum Regem maluerunt ſibi donari, vnde & in hũc diem pro Chriſtianis ſunt prædones.

Quarta pars dabit nobis verbera, coronam ſpineam, veſtem purpuream, quibus milites ipſum in prætorio inſignierunt. Nam Pilatus, cùm Ieſu depræhendiſſet innocentiam, nec poſſet ipſum per conſuetudinem Feſti, è cruentis furioſorum

mani-

manibus eripere,aliam, qua inſontem liberaret, ingreſſus viam flagellauit eum, poſtea ſpinis coronatum, veſteque purpurea à militibus indutum foras eduxit, miſerabili exclamantem voce: Ecce homo,&c: Si quo modo inſanientium furorem ſedare & lenire poſſet. Sed ſaxis duriores nihil prorſus commoueri, imò infeſtis clamorib⁹ vociferari certatim: Crucifige, Crucifige. Hæc noſter Ioannes. Mattheus autem hic inſerit hiſtoriam de Iuda, qui cùm audiſſet Ieſum præſidi traditum, & ex parte damnatum, reddit ſuum pontificibus argentum, ductus nimirum pœnitentia: Sed (malum) nimis ſerò. Vnde egreſſus laqueo, finit vitam cũ magno animę ſuę detrimento. Idem ſcribit, vxorem Pilati miſiſſe ad maritum, ne ſe ſanguine iuſti hominis contaminaret: quia præterita nocte grauia eſſet illius nomine perpeſſa. Lucas verò & reconciliatę concordiæ meminit, quæ ex Chriſti irriſione eſt, inter Pilatum & Herodem confirmata.

Quinta pars eſt de ſententia, qua Chriſtus iniuſtè damnatus rapitur ad ſupplicium. Ioannes ait, eum ſuam ipſius crucē portâſſe, quod quomodo iuxta literam

intelligendum ſit, alij Euangeliſtæ, præſertim Lucas, exponunt. Hi enim ſcribũt quod quidam Simon, pater Alexandri & Ruffi, poſt Ieſum baiulârit, qui Simõ, ſine dubio, eccleſiam duorũ populorũ matrẽ deſignat, vt ſuo tẽpore, aperiemus. Hæc enim poſt Ieſum Chriſtum, quotidie portat crucem. Lucas verò hoc in loco commemorat fletum mulierum, quę ſecundũ carnem innocentiam dñi proſequebantur lachrimis. Item myrrhatũ vinũ, quod pro more propinârunt milites damnato, ne fortè concideret de via defeſſus.

Sexta pars habet inſcriptionem & titulum, quẽ Pilatus ioco, aut fortè ex officio (quod tamẽ non videtur: Alióqui & latronibus itidem ſua crimina legẽda propoſuiſſet) cruci Ieſu Chriſti affixit. Erat aũt titulus hæbraicè, græcè, latinè in hæc verba ſcriptus: Ieſus Nazarenus rex Iudęorum. Hunc ait, permultos ex Iudæis legiſſe propter loci vicinitatem, & quidem haud citra Pontificũ, totiuſq; gregis Iudaici ignominiam. Ex quo & verba illius petunt mutari. Sed vt Caiaphas antea vaticinatus fuerat expedire, vt vnus moreretur pro populo: ſic & Pilatus hîc inſciens fortaſſe ex odio Iudęorum veritatem

ſcripſit,

ſcripſit, eiuſmodi ridiculum titulum aſ-figendo: Q. D. Ecce hic populus Iudaicus, qui magnificè effert ſe, & gloriatur de Meſsia cœleſti, habet tandē ſuū regē, qui ipſos locupletat, & ab imperio Cæſaris Romani liberat. Ita eñ ſolet Deus ſua myſteria mūdo denūciare, & oēs, qui nō credunt veritati, reddere inexcuſabiles.

Septima pars complectitur ea, quæ illi à militibus & viatoribus, qui fortè egrediebantur & ingrediebantur vrbem, ſuſpenſo in cruce acciderunt. Ioannes duntaxat, meminit partitionis & ſortis, quam miſerūt de Ieſu Chriſti veſtimentis. Adhæc recitat hiſtoriam de tunica inconſutili, quæ propria eſt ipſius, ſicut aliorum Euangeliſtarū, quod acerbiſsimis conuitijs ſit à militibus in ipſa cruce laceratus.

Octaua pars ſimiliter Ioannis eſt, quaſi peculiaris de factione teſtamenti, quod in cruce, cum matre ſua chariſsima, erexit: Cōmendat autem illam, quam mœſtam ad crucē conſpexerat, dilectiſsimo ſuo diſcipulo, vt recipiat in ſua, ipſamq́ poſthac loco matris habeat, id quod & (teſtante ipſo Apoſtolo) completum eſt. Factum igitur ſic cum matre teſtamentū, continuò morte ſua obſignat. Ioannes

tamen refert eũ ſiti, preſſum ſpongia acetum ſibi prius porrectum accepiſſe, poſtea exclamâſſe: Conſummatum eſt, & inclinato capite tradidiſſe ſpiritũ. Mattheus verò & Marcus ſcribunt illud pſalmi: Deus, Deus meus, quare me dereliquiſti, hæbraicè edixiſſe, & mirrhatum felle mixtum vinum tantum ipſi admotum eſſe. Verum hæc omnia in ſpirituali intellectu optimè conſentiunt.

Nona pars exponit ea, quæ poſt mortem ipſius geſta ſunt, pendentis adhuc in cruce. Ioannes enim tradit Iudæos orâſſe præſidem, vt fractis cruribus facinoroſorum corpora reconderẽtur ſepulchris, ne contra legem in ligno pernoctarent. Cùm autem Ieſus eſſet mortuus, nihil tale ei intulerunt milites, Sed vnus ex eis lancea latus aperuit, ex quo vulnere manauit ſanguis & aqua. Alij Euangeliſtæ memorant, tum ſolem per tres horas obſcuratum, velum templi ſciſſum, Centurionem (cùm electus populus à Deo defecerat) ad dandã ipſi gloriam permotam fuiſſe. Mattheus ſpeciâliter prodit multa mortuorum monimenta fuiſſe aperta, ex quibus corpora ſanctorum, non tantùm egreſſa, ſed etiam poſt reſurrectionem in

ſancta Ciuitate compluribus conſpecta ſunt.

Decima & poſtrema pars de paſsione Chriſti, oſtendit nobis modum ſæpulturæ, in quo fermè omnes Euangeliſtæ con ſentiunt. Aſſerunt enim Ioſephū ab Arimathia, virum conſiliarium & clandeſtinum, Chriſti diſcipulum, à Pilato impetrâſſe, vt ſibi gratificaretur Domini corpus, quod & factum eſt. Hoc tamen habet Ioannes proprium, quod Nicodemus ille, qui noctu venit ad Ieſum, adiunctus Ioſepho manus præbuerit auxiliares, dū afferebat mixturam, Mirrhæ, Aloës ad libras fermè centum. Mattheus autem hiſtoriam addit de cuſtodibus ſepulchri, quos pontifices petebant à Pilato, ne qua à diſcipulis ſurreptus, poſtmodum reſurrexiſſe diceretur.

Vides nunc, Chriſtiane lector, in compendio & optima methodo cuncta, quæ ſunt à reliquis Euangeliſtis ſuper addita, quaſi ob oculos poſſe ſtatui, ſiquidem Io annis ordinem ſequamur? Nullam enim, arbitror, memorabilem hiſtoriam, quæ ab alijs poſita eſt, nos in præteritis reliquiſſe, aut ſi qua à me fortaſsis eſt, oſcitantia præterita, ea haud incommodè poteſt

poteſt à diligentiori Lectore addi & inſeri.

EXPLICATIO TEXTVS SEcundum intellectum ſpiritualem.

HIs itaq; , tanquam elementis & principijs fidei perceptis, noſtri erit officij, vt poſthac, quæ in ſchola didicimus, per ſpiritũ ſanctum transferamus in vſum. Vt eñ te nihil iuuat artem aliquam tenere vel exactiſsimè, niſi practica & vſus acceſserit: ita & nos in ſuo quiſq; ordine & vocatione nũc procuremus, vt maximã dilectionem, maximã iuſtitiam, maximam ſapientiam, &c. quas ex domini & ducis fidei noſtræ paſsione didicimus, ipſius exemplum imitati, factis exprimamus. Ita eñ paſsio eius ad vnumquemq; noſtrum referenda eſt, vt inde ceu ex tabula pro palam collocata perſpiciamus, nõ ſolùm maximas, ſicut iam dixi, virtutes, verùm etiã peccata & ſcelera maxima, quibus hactenus in ſuo quiſq; miniſterio, filium Dei vel perdiderimus, vel conſpuerimus, vel impegerimus ei alapas, vel flagellauerimus, vel ſpineã impoſuerimus capiti eius coro-

coronam,vel purpuream induerimus ve-ſtem, vel deniq; crucifixerimus, aut poſt mortem latus ipſius perfoderimus: Et quando animaduertis te vnius pluriúmue reum,age,queſo,pœnitentiam,& deo, dum tempus eſt, reconciliare, ne te inferorum tenebræ occupent, & dies Domini tremenda.

Hiſtoria eſt illa quidem tibi vtilis & neceſſaria, ſicut ſtatua mercurialis, aut prima literarũ elementa. Oportet te illa tenere, vt iuxta hæc viſibilia ſcias tuũ dirigere iter. Hæc eñ qui negligit aut contemnit,is nunq̃ ad altiora aſcenderit:Sed vt nihil prodeſt tibi,ſcire,quò ſit eundũ, niſi & ipſe viam ingreſſus procedas: ita & hiſtoriam paſsionis fruſtrà audieris, imò in maiorẽ damnationem,niſi vitam tuam iuxta eandem informes, atq; ipſius cruce ſuſcepta Chriſtum prẹeuntẽ tibi ſtrenuè ſequaris: Nunc in nomine domini primã aggrediemur partẽ,in qua prẹcipuè quatuor explicabimus. Primùm de perſona Chriſti. Secundũ de Iudæ Simonis Iſcariothæ. Tertium de ijs,qui verbo Chriſti retroaguntur in terram. Poſtremùm de Petri carnali defenſióe,quàm temerè pro Chriſto ſuſceperat.

TEX-

TEXTVS PRIMAE partis.

I EGreſſus eſt Ieſus cum diſcipulis ſuis trans torrentẽ Cedron, vbi erat hortus, in quẽ introiuit ipſe & diſcipuli eius.

II Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, hunc locum, quia frequenter Ieſus venerit illuc cum diſcipulis ſuis. Iudas ergo cum accepiſſet cohortem & à Pontificibus & à Phariſeis miniſtros, venit illuc cum laternis & facibus & armis.

III Ieſus, itáque ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper ſe, proceſsit & dixit eis: Quem quæritis? Reſponderunt ei: Ieſum Nazarenum. Dicit eis: Ego ſum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipſis. Vt ergo dixit, ego ſum: abierunt retrorſum & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogauit eos: Quem quæritis? Et dixerunt: Ieſum Nazarenũ. Reſpondit Ieſus: Dixi vobis, quod ego ſum. Si ergo me quæritis, ſinite hos abire, vt impleretur ſermo, quem dixit: Quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam.

IIII Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percuſsit pontificis ſeruum

& ab-

& abſcidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen ſeruo Malchus. Dixit Ieſus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam, Calicem, quē dedit mihi pater, non bibā?

EXPLICATIO.

EGreſſus eſt Ieſus cum diſcipulis, &c. Primus locus eſt de perſona Ieſu Chriſti. Ante omnia hîc admonendi ſunt pij lectores, vt iuxta præcepta Pauli non ampliùs cognoſcant Ieſum ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum, qui eſt nobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi, qui nobis ſapientia à Deo & potentia & redemptio factus eſt. Si ex ipſius paſsione didiciſti maximas & perfectiſsimas virtutes, habes ſapientiam Dei & humanam ipſius naturam, rectè credis: in qua nobis has virtutes, vt ſuprà oſtendimus, patefecit, eſque à regno tænebrarum ac mortis redemptus. Si verò in hiſce virtutibus viuis, Deoque pro dono tuo fructificas, habes potentiam ceu ſpiritum Chriſti, & alteram naturam verè credis, nempe deitatem, per quam tanquam membrum capiti Ieſu Chriſto incorporaris. Hoc pacto 1

de plenitudine eius omnes accepimus etiam gratiam pro gratia: Prior gratia eſt, quòd animam perfectiſsima virtutum ſcientia inſtruit. Poſterior, quod dat robur & ſpiritum, quo id quod ex verbo & exemplo ipſius percepimus, producamus in actum, atque ita in vnum cum ipſo velut capite noſtro coaleſcamus, de quo Ioan. 17. Gloriam quàm dediſti mihi, dedi eis vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus: Ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum, &c. Et 1. Corinth. 5. Qui adhæret, inquit Apoſtolus, Domino, vnus ſpiritus eſt. Item, 1. Ioan. 1. Societas noſtra ſit cum patre & filio eius Ieſu Chriſto, &c.

Hic ergo Ieſus, id eſt, ſapientia & potentia Dei, quando torrentem Cedron, id eſt, tænebras cordis noſtri, quibus hactenus capti & oppreſsi fuimus, tranſit ſeu illuminat nos, venitque in hortum cordis noſtri, quòd eſt ſpiritualis paradyſus (Huic enim arbor ſcientiæ boni & mali, itemque arbor per ſpiritum vitæ inſitæ ſunt) tunc, ſi per hanc donatám ſapientiam & potentiam Dei à mammona iniquitatis victi & ſuperati, auaritiæ noſtræ ſeruiamus, ſumus Iudas iſte Chriſti

prodi-

proditor, vt qui gloriam Dei ventri huic corruptibili prodiderimus.

Nam Iudas deſignat carnalem rationem ſeu iſtam callidam & veteratoriam mundi practicam, qua hæ duæ gratiæ, dico ſapientia & potentia, quæ ſunt Chriſtus à Deo tranſlatæ proſtituuntur ventri & auaritiæ. Hoc multis & euidentibus argumentis probari poteſt. Primò ab ipſo nomine. Quia Iudas declarat hæbręis cognitorem, cuiuſmodi ſanè eſt iſta carnalis ratio, quæ Ieſum Chriſtum quidem cognoſcit, ſed omnẽ interim mundo dat operam. Deinde & à cognomine. Vocatur enim Iſcariotes, id eſt, mercenarius, vtpote qui omnia cogitet, dicat, faciat, ex auaritia ob huius vitæ mercedem; nihil prorſus vel propter Dei gloriam, vel Eccleſiæ ædificationem. Tertiò, à ſuo ipſius officio ſeu potius flagitio. Quia eſt dux & ſignifer aliorum ſeruorum, id eſt, affectuum carnalium contra Chriſtum. Ratio enim omnes vires inferiores, vt vocant, & ſuperiores ducit vel ad gloriam Dei, ſi eſt Chriſti verbo formata, vel ad gloriam mundi, ſi eſt Iudas Simonis Iſcariotis. Quare omnis, qui gratiam ſibi collatam à Deo,

II. *Locus de Iuda.*

vt theſaurum coaceruet in cœlo,traducit ad ventrem ſeu auaritiam,is Ieſum Chriſtum prodit, & eſt Iudas ſpiritualis, qui cohorte affectuum & concupiſcentiarũ, Dominũ conſtrictum tradit crucifigendum. Vnde, quando nunc in templis ad matutinas canimus: Iudam ob ſuum ſcelus inferno mancipatum, meminerimus, nos eandem pœnam manſuram, niſi iſta inſatiabili diuitiarum auiditate abiecta, Deo nos conſecrãtes,poſthac rem in cœlis faciamus.

III Tertius locus de ijs,qui audito Dei verbo, retrogrediuntur, quorũ ſanè ingens numerus eſt, iuxta illud: Multi ſunt vocati, pauci verò electi. Nec aliud hac hiſtoria innuitur, quàm Simon ille ſenex, Lucæ 2. Mariæ prophetat: Ecce, inquiens, hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum. Qui Euangelio illuminati, ſequuntur ducem Iudam contra Ieſum,id eſt,gloriam Dei ſibi reuelatam, ij abeunt retrorſum, & ſi in hac vita perſeuerant, cadunt etiam in terram, id eſt, Chriſtus eſt eis in ruinam. Qui autem cognito Dei Euangelio, agunt pœnitentiã, & ſpiritum Chriſti ducem ſequuntur, hi licet per peccatũ in terram hactenus fuerint

rint proſtrati, tamen eiuſdem Chriſti verbo ac potentia reſurgunt, ſanctòque ſpiritu, vt in hac vitæ nouitate perſiſtere queant, confirmantur. Vnde & Chriſtus hic ait, ſe ex illis, quos ſibi pater dedit, nõ perdidiſſe quenquam.

Quartus locus eſt de carnali Petri propugnatione. Hic variæ à varijs mouentur queſtiones, quare Petrus gladium geſtârit, cùm Chriſtus præcipuè vetuerit Apoſtolos vel virgam ſecum circumferre. Sed nos iſtis argutijs tanquam egenis elemẽtis præteritis oſtendemus, ſpiritualiter, quomodo & ipſi ſępenumero ſimus eiuſmodi Petrus, qui ſtultè, aut etiam temerè gladium carnis educamus. Nam Petrus hic figurat nobis literam, & gladius eius notat ſenſum carnalem. Primò, quia ſicut Petrus nomen habet à Petra, ſuper quam Eccleſia eſt ędificata: ſic & ſcriptura ab eadem Petra, id eſt, Chriſto dicitur ſancta etiam iuxta hiſtoriã. Vnde ſi quis hanc reijcit aut non credit, quæ in ea continentur, ſic eſſe geſta, eum ritè nõ agnoſcimus Chriſtianum. Deinde, ſicut Petrus interdum apertè quidem confitebatur Chriſtum, vt Matth. 16. interdum verò obſcurè, aut etiam omnino negabat, IIII

ita & litera ſecundum hiſtoricum ſenſum, ſæpe de Chriſto clariſsimè loquitur: ſæpè autem admodum obſcurè & intricatè, vt eundem videatur quaſi denegare. Hinc & tot tantæque hæreſes ſuam duxere originem & fundamentum iecerunt. Nulla enim vnquam extitit adeò diſtorta & monſtroſa, quin ſuam peruerſitatem ſcripturæ teſtimonijs ſuffulſerit, in eiuſque delituerit autoritate.

Ergo ſicut Petrum oportuit prius ſpiritu ſancto donatum & virtute ex alto, quàm pro gloria Dei omnia gereret: ita & ſcripturam opus eſt omnino ex litera in ſpiritum traduci, alióqui citiùs te occidet, quàm ad vitam ducet, iuxta illud Apoſtoli: Litera occidit, videlicet per iſtum carnalem ſenſum, quem dubio procul gladius Petri, quo is præ alijs erat accinctus, deſignet. Quia vt nihil ab Eccleſia recipitur aut habetur pro authentico, niſi ſit ſuper hac Petra, id eſt, in canone ſcripturæ & ipſius Petri ſucceſſoribus fundatum: ita & is ſolus præ alijs geſtat gladium, quo aurem dextram, ſerui Pontificis abſcidit, id eſt, prudentiam carnis infatuat, quòd ſanè nullo allio modò

fit,

ſit, niſi per ſenſum literalem (Eſt enim hæbreis Malchus regnum, quod in nobis prudentia, inde & Regina virtutum moralium à Philoſophis nuncupatur: Et hic eſt ſummi pontificis, id eſt, ſapientiæ mundanæ ſeruus. Prudentia enim iuxta philoſophos, miniſtra eſt ipſius ſapientiæ (vide Ethico. 6. Ariſto.) Quia Euangelium eſt iuxta literam ſapientib' mundi ſtultitia, ſicut Iudæis ſcandalum, ex quo neutri illud in hoc ſenſu audiunt vel recipiunt. Verùm enimuero vt Chriſtus ex mera gratia illi auriculam reſtituit, teſte Luca, & iubet Petrum pugnacem recondere gladium in vaginam: ita & prudentiam carnis ſuo ſpiritu ſanat, & per ſuos doctores in hũc diem iubet nos iſtum carnalem ſenſum, qui parit prophanas & inutiles contentiones, deponere. Alióqui patris voluntas, quæ à nobis perficienda eſt impeditur, quòd eſt peccatum in ſpiritum ſanctum.

Quare, omnes qui nunc citant ſcripturam iuxta literam abſque gloriæ Dei ratione, ſicut reuera eſt iſta ſola fides, ij ſunt Simon Petrus ſpiritualis. Et ſi ab ipſo DOMINO admoniti obtemperant, recondentes hunc gladium in

vaginam, patris calicem cum Ieſu ebibēt: Sin minus, profectò Chriſtum in eodem Petro denegant, de quo in parte ſequenti. Ex his conſpicitur quāplurimos nunc temporis exiſtere Petros, qui tantum literæ mortuæ aut potius occidenti adhæreſcunt. Sed his ex ore Chriſti dicēdum: Recondite gladium in vaginam & ſpiritum amplectemini viuificantem, ſi modò velitis iuſtitiæ obtemperare, & poculum, quod ſuum cuiq; pater infudit ebibere. Huc pertinet illud, Ioan. 5. Vos ſcrutamini, inquit Chriſtus, & perquiritis ſcripturas, quia putatis vos in ipſis vitam habere æternam. Sed illę ſunt, quę teſtimonium perhibent de me, & non vult is venire ad me, vt habeatis vitam. Vt enim Manna, quod Moyſes dedit in deſerto, non fuit verus panis à Patre conſignatus: ita & ipſius verbum, iuxta literam, neminem ſaturat aut cibat ad vitam æternam.
Deut. 18. Ea propter verbis haud obſcuris, alibi Moyſes ipſe commonſtrat illum & digitum intendit ad hunc fontem, vnde aquā vitæ hauriamus æternæ.

SECVNDAE PARTIS textus.

Cohors

COhors autem & tribunus & miniſtri Iudæorum, compræhenderunt Ieſum, & ligatum duxerũt ad Annam, primùm. Erat enim ſocer Caiaphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiaphas, qui conſiliũ dederat Iudęis, quod expediret, vnum hominem mori pro populo. Sequebatur autẽ Ieſum Simon Petrus & alius diſcipulus. Diſcipulus autẽ ille erat notus pontifici, & introiuit cum Ieſu in atrium pontificis. Petrus autem ſtabat ad oſtium foris. Exiuit ergo diſcipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum. Dicit ergo Petro ancilla oſtiaria: Nunquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? Dicit ille: Non ſum. Stabant autem ſerui & miniſtri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant ſe. Erat autem cum eis, & Petrus ſtans, & calefaciens ſe. I

Pontifex ergo interrogauit Ieſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina eius. Reſpondet ei Ieſus: Ego palam locutus ſum mundo, Ego ſemper docui in ſynagoga & in templo, quo omnes Iudęi conueniunt, & in occulto locut⁹ ſum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos, qui me audierunt, II

dierunt, quæ locutus ſum ipſis: Ecce hi ſciunt quæ dixerim.

III. Hæc cùm dixiſſet, vnus aſsiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens: Sic reſpondes pontifici? Reſpondet Ieſus: Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: Sin benè, quid me cędis? Et miſit eum Annas ligatum ad Caiapham.

IIII. Erat autem Simon Petrus ſtans & calefaciens ſe. Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex diſcipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Non ſum. Dicit vnus ex ſeruis pontificis, cognatus eius, cuius abſcidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit Petrus, & ſtatim gallus cantat.

EXPLICATIO.

EX his, quæ in Annæ & Caiaphę ædibus geſta ſunt, quatuor potiſsimùm diſcamus. Primum, eſt de perſona Caiaphæ. Secundum, de reſponſione Chriſti, quam ſummo dedit pontifici, de doctrina & diſcipulis ſuis interroganti. Tertium, de alapa

alapa ſerui. Poſtremum, de Simonis Petri denegatione.

I. *Locus de perſona Caiaphæ.*

In primis autem ſciendum eſt, nomen Caiaphas eſſe quatuor ſyllabarum, ſicut & Eraſmus rectè monuit: & deſcendit ἀπὸ τοῦ καίειν καὶ τῆς ἀφῆς, quaſi dicas, combuſtio ſeu ruptio iuncturæ. Sed quid, dic mihi, rumpit iuncturam aut vinculum, quo nos Chriſto Ieſu ſumus alligati? Nonne perfidia ſeu inanis gloria? Vt enim nos fides Deo agglutinat, ita è diuerſo perfidia ſeu κενοδοξία ſeparat & diuellit. Hinc Chriſtus Ioannis 5. de inani gloria: Quomodo, inquit, poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis? Item capit. 7. Qui à ſe ipſo loquitur, propriam gloriam quærit: Qui autem quærit gloriam eius, qui miſit eum, hic verax eſt, & iniuſtitia in illo non eſt, &c. Item, 1. Corinth. 10. cap. Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliquid quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, &c. Ergo qui per propriæ gloriæ inquiſitionem diſrumpit vinculum charitatis Dei, is ſe Caiapham agnoſcat,

agatque, dum tempus eſt, pœnitentiam. Aliòqui profectò cum patre ſuo in æternum ardebit. Nec eſt, vt iſti iam olim defuncto pōtifici maledicas (Qui enim extra eccleſiam ſunt, iudicabit Dominus) Sed vide vt ſpirituale iſtum Caiapham, id eſt, κενοδοξίαν execreris, aut potius è templo cordis tui eijcias atque deturbes, ne fortè, vbi iſtius annus euolut⁹ eſt, tibique plenitudo temporis venit, is ſuperbè in te dominetur ampliùs.

Porrò autem quod Caiaphas iſtos, qui gloriam mundi preferant cœleſti & diuinæ, repræſentat, præter etymum nominis, vt iam oſtenſum eſt etiam ex alijs argumētis euinci poteſt. Primo, quia vt eſt ſummus pōtifex illius anni, in quo Ieſus flagellatus cruci ſuffigitur: ita & κενοδοξία tum rerũ in templo cordis tui verè potitur, & omnia membra ſuo deo, qui eſt Draco antiquus, offert, ſi ſpiritu Chriſti illuminatus, gloriam dei negligas. Deinde ab elogio, quod Apoſtolus Ioannes ei tribuit, nempe, expedire, vt vnus moriatur pro populo: Quam quidē vocem in hunc diem pleno ore crepant monopiſti: Quoties enim, ſi doceas, omnia propter ſolius Dei gloriam facienda & ſuſtinenda

Digitized by Google

nenda eſſe obijcitur, tibi mortales hoc non poſſe, & ideo Chriſtum oportuiſſe hominem factum, vt pro nobis hæc præſtaret ſolus, Deoque ſua morte & paſsione ſatisfaceret: Si enim nos, inquiunt, potuiſſemus legẽ Dei complere, & tum verbis tum factis eũ glorificare, q̃d opus fuiſſet Chriſti cruce & merito? Cum itaq; hæc vox Caiaphæ expediat eis, nimirum ad carnalem vitam & gloriam ſuam quærendam, ne quid bonorum operum præſtent aut ſeruiant deo, idcirco rectè dicimus per hunc Caiaphām repræſentari iſtos. Tertio, ſicut Chriſtus in huius pontificis palatio conſpuitur, alapis cæditur, falſis obruitur teſtimonijs, à Petro denegatur, & inde ad ſupplicium rapitur: ita & inanis gloria ſpiritualiter etiam nunc tractat Ieſum in cordibus noſtris habitantem: conſpuit faciem eius ſophiſticis gloſis, falſò in rem ſuam citat ſcripturam, quem ore iactat, factis pernegat, deniq́ue è vinea eiecti & occiſi ſibi rapit hæreditatem. Quare infinitus fermè numerus eſt iſtorum, qui inſtar Caiaphæ gaudent Ieſum Chriſtum ita pro populo mortuum, vt ipſi nunc ab omni bonorum operum & cruciatuum debito apud Deum

ſint

ſint prorſus ſoluti & redempti. Sed quàm pernitioſè decipiantur iſti, ſuprà ex parte declaratum eſt in noſtris προλεγομένοις.

II. *Locus de reſponſiõe Chriſti ad Caiapham.*

Secundo loco venit obſeruandum domini noſtri Ieſu Chriſti reſponſum, qđ dedit pontifici percõctanti de doctrina & ſuis diſcipulis. Vt enim omnia ſunt nobis in exemplum propoſita: ita & iſtud reſponſum à capite in nos ipſius membra eſt transferendum. Nam ſicut is à pontifice, interrogatus de ſuo ſtatu ac doctrina, nihil aliud reſpondet, quàm vt opus & vitam conſideret: Si quid in hac ſit culpandum, tum eſſe legem, iuxta quam pœna de ſe ſumatur: Eodem modo & nobis omnibus, qui vſurpamur Chriſtiani, in hac vita verſandum eſt, vt ipſa dicta, facta & opera pro nobis in Dei & hominum conſpectu reſpondeant, noſtramque innocentiam tueantur. Qui verbo iactitat & oſtentat artem, à qua opus diſſentit, is mendax eſt & ridiculus. Verbi gratia: Gloriatur quiſpiam ſe, mirum conficiendi veſtimenta aut calceos conſuendi magiſtrum, ſed in opere reperitur monſtroſus, nonne ab omnibus arguitur

guitur vanitatis? Simili modo & nos nūc veriùs ſumus Antichriſti, quàm Chriſtiani, qui verbis quidem altè tonamus Euangelium, factis autem idem dehoneſtamus, & coram Deo, hominibuſque mentimur. Fidelis Chriſti ita iuuet & habitet in oculis omnium, vt ſit ac luceat quaſi luminare in mundo, poſsitque ea, quæ hîc memorantur à Domino verè obijcere iſtis tyrannis: Ego palàm locutus ſum & opus meum extat, quòd luculenter patefacit & atteſtatur, qualis ſim ipſe, nec eſt, vt cauſam mei multis coram te agam. Igitur hæc reſponſio fidelium quaſi propria eſt, qua aduerſariorum ora obdurent, & eiuſmodi armis ſuam innocentiam defendant. Chriſtiani nihil ex occulto, ſicut hypocritæ aut carnales faciant, ob quam rem & à Chriſto, Matthei capite quinto, vocantur lux, & ab Apoſtolo filij diei. Quia ſic nunc cogitant, loquuntur, agunt, vt ſua omnia velint omnibus eſſe manifeſta, aperta, reſupinata.

Tertius locus eſt de alapa ſerui & Ieſu Chriſti domini noſtri defenſione. Nam plæriqùe cauillantur ſcripturam & Euan- III

gelij

gelium Dei, quaſi non modò non cohærentia inter ſe, ſed maximè diſiuncta & contraria diceret. Ipſe enim Chriſtus (aiunt) alibi docet, ſi quis te percuſſerit in dextram maxillam tuam, præbe ei & alteram, &c. Item 1. Pet. 2. & Eſaiæ 53. Quaſi agnus coram tondẽte obmutuit, nec aperuit os ſuum, &c. Sed hic ſeruo, qui alapam impegerat, non ſolùm alteram maxillam nõ præbet ipſe, verùm etiam percutientẽ arguit, & ſeſe expurgat, &c. Ad hanc obiectionẽ breuiter reſpondemus, duplicem eſſe defenſionem. Eſt defenſio innocentiæ, quæ attingit tuam perſonam, & fit in rebus ad ventrem & huius vitæ conſeruationem pertinentibus, quę poſthac ignoretur à nobis Chriſtianis. Nullus enim vel verbo vel facto ſe à tali iniuria vindicet, ſed totum, quod infertur mali, Deo relinquat, is ſuo tempore æqua lance compenſabit & retribuet. Eſt præterea defenſio, quæ concernit miniſterium à Domino nobis iniunctum & impoſitum, cuius cauſam niſi ſuſcipias, violatur dei gloria & Eccleſiæ ædificatio impeditur, vt ſi hîc Chriſtus deſeruiſſet ius ſuum, nec ab iſtius audacia & petulãtia vindicâſſet veritatem, nonne dei patris

tris

tris gloriam prodidiſſet? Ergo decebit te in tali caſu pugnare non quidem pro tua gloria, ſed pro domini Dei maieſtate & proximi ſalute: Ità tamen, vt ædifices nô deſtruas, quod fit, ſi quàm parciſsimè & manſuetiſsimè cauſam tuam dicas, quemadmodum illuſtre hic in Chriſto habes exemplum. Is certè non repercuſsit, nec maledicta regeſsit, ſed ſimpliciter & humiliter petit cauſam, cur qui nihil fecit extra officium, præter meritum ſit verberatus.

Quartus huius partis locus eſt de Petri Simonis lapſu, cuius exemplo plurimi hac tempeſtate, in ſuam ipſorum perniciem nefariè abutuntur. Perinde ac ſi iſta hiſtoria, tantum in hoc eſſet prodita & literis ſacris conſignata, vt nobis formam & ſpeciem proponeret impunè peccandi. Ita enim colligunt: Si Petrus tantus Chriſti Apoſtolus in grauiſsimum peccatum lapſus veniam apud Deum inuenit miſericordiamq; conſecutus eſt, quid obſtabit, quo minus & ipſi conſimili modo de induſtria nos ſceleribus contaminantes recipiamur in gratiam, peccatorumque remiſsionem impetremus? Quæ ratiocinatio vitioſiſsima eſt, & prorſus à IIII.

ſenſu

ſenſu ſcripturæ aliena: Primo vt non ſequitur, Cæſar remittit alicui nobili aut conſiliario, optimè de ſe ſuiſque merito, delictum caſu quodam admiſſum. Ergo & tibi nihil de ſe vnquam merito condonabit crimen conſultò patratum: Ita & iſta tua conſequentia eſt vitioſa: Chriſtus remiſit Apoſtolo, quem præ alijs honorauit, & reuelationibus & muneribus quiq; per triduũ amarè fortuitum defleuit lapſum: Igitur & tibi quotidie nouis ſceleribus ſe obſtringenti & coinquinanti veniã concesserit. An nõ poteſt omnipotens in ſuis bonis facere qđ vult? Eſau odio habere: Iacobũ diligere: Saulẽ peccantem reijcere: Dauidi ignoſcere? Num oculus tuus nequam eſt, quia ipſe bonus?

Deinde & in toto ipſius cauſæ ſtatu diſsides à Petri facinore, nec ſimile atque ipſe fecit, committis peccatum. Is enim propoſuit ſibi, quòd in nomine Chriſti mille mortes eſſet oppetiturus, qđ quidem propoſitum, vt eſt bonũ & Chriſtianum, ita non ſiuit eum peccare ad mortem, iuxta illud: Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum nõ facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, nec poteſt peccare (videlicet ad mortem) Imò Deus tum foret

parum

parùm fidelis, ſi volenti quidem omnia, vxorem,liberos,agros,domos,&c.nomine ipſius deſerere, ſed ex infirmitate carnis lapſo peccatum ſtatueret, nec confugienti ad gratię thronum,acta tribus diebus amara pœnitentia, veniam daret. Tu autem,quoniam eiuſmodi glorię Dei intentionem, bonumq; propoſitum damnaſti ac reiecisti, ideo nihil prorſus præter carnem ſapis, neque potes quicquam niſi mortalirer peccare.Hoc veſpere abis ex carnali affectu ad commeſſationem quandam, in qua te dedita opera ingurgitas & obruis baccho: cras autem, ductus pœnitentia,petis huius culpę remiſſionem à Deo: quia & Apoſtolo Petro condonârit lapſum. O ſcelus. Ille ex infirmitate;tu ex mera malitia:Ille hóc animo & propoſito, vt pro ſuo domino moreretur,tu vt contra dominum & conſcientiam pro libidine crapulareris, deniq; ille ſecutus dominum, tu auaritiam, aut carnis concupiſcentias conſectatus peccaſti: attamen non erubeſcis, vt eſt tua impudentia, eius delictum cum tuo ſcelere conferre?

Cur non potius tali ratione hinc concludis: Si Petrus, qui fuit ſummus Apo-

ſtolus, in bono propoſito ex infirmitate carnis ita prolapſus eſt ſequendo Dominũ, vt in ęternum perijſſet, niſi Ieſus eum fuiſſet intuitus (Sic enim ſcribunt patres quod ex Chriſti intuitu, Luc. 23. ſpiritũ acceperit) & per tres dies agendo pœnitentiam amarè fleuiſſet, quid tibi fiet, ſi nec ex iſtiuſmodi carnis infirmitate, nec in propoſito bono verſatus, nec tantus Apoſtolus Dei peccaueris? Certè ſi Deus ne angelis quidem robore & virtute maioribus, qui peccauerant, pepercit, itẽque ramos naturales ex ſua olea excidit, multò minus tibi homuncioni, qui contrà naturã inſitus es in ipſam oleam, peccatorum impunitatem eſt daturus: Itaq; timorem & ſeueritatem Dei potius hinc diſcamus ne nimis ſecuri ſimus & diſſoluti. Bonitas omnipotentis ad pœnitentiam inuitat, non feneſtram ad nequitiam aperit. Hæc videntur præſenti loco commodiora, quàm à monopiſtis proponuntur, qui vt ſunt carnales, ita & nihil niſi carnem ſpirant, alunt, enutriunt, ex quo eos euerſores veriùs dixeris, quàm ſcripturæ interpretes & explanatores.

DE CANTV ET NAtura Galli.

Quo-

QVoniam omnia quæ præſcripta & creata ſunt, pertinent ad doctrinam noſtram & conſolationem, ideò non abs re videtur mihi & de natura galli, cuius cantu Petrus ſui peccati eſt admonitus, aliquãtò copioſiùs explicare. Nam hæc ales plurimas dotes eaſque veræ fidei & ſpiritui ſancto conuenientiſsimas in ſe complectitur, quas certùm eſt in ædificationem Eccleſiæ, propter quàm omnia ſunt, accepiſſe. Primò igitur diſcutienda eſt vox græca ἀλέκτωρ, qui teſte Phauorino ideo ſic dictus eſt, ὅτι ἐκ τοῦ λέκτρου ἐγείρει, hoc eſt, quia excitat nos è lecto, quòd ſanè munus Spiritus ſancti peculiare eſt. Hic enim ſolus nos è lecto ſeu grabbato peccatorum, in quo hucuſq; grauiſsimè decubuimus, ſuo cantu, id eſt, potentia excitat, vt poſthac tanquam filij lucis in die ambulemus, circumſpectè. Satis eſt hactenus altum ſtertiſse, Deo & carni vigilâſſe, cùm eramus in nocte & tænebris, nunc expergefacti ab hoc gallo quæ ſuperna ſunt inquiramus & meditemur. Sicut igitur gallus eſt vigil nocturnus, quẽ ad excitandos in opera mortales, rumpẽdumque ſomnũ & cantu diem indicen-

 dum

dum genuit natura: ex quo & duces belli eos ſecum circumferunt, qui de tempore vigiliarum reddantur certiores: Ita & fides vera ſeu ſpiritus ſanctus in hoc datus eſt nobis Ieſu Chriſti militibus, qui veternum excuteret, diei ſalutaris denunciaret aduentum, noſque ad arma & ſtationem noſtram vocaret, ne ſepulti ſomno à ſpiritualibus aſtutijs & tænebrarum rectoribus opprimeremur. Vita noſtra eſt vera militia, in quatuor excubias à Deo diuiſa.

Prima, eſt pueritia. Secunda, iuuentus. Tertia, virilis ætas. Iam ſenectus & finis ſeu quarta inſtat, in qua oppidòquam diligenter excubandum eſt & cauendum, ne Dominus nos reperiat dormientes, Lucæ 12. capit. Beati, inquit, ſerui, quos, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd præcinget ſe & faciet illos diſcumbere. Et ſi venerit in ſecũda vigilia, & ſi in tertia, atque ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi, &c.

Secundò, habet naturam vt antè occaſum Solis eat cubitum, & antè eiuſdem ortum cubitu ſurgat, nec vnquam patiatur ſibi hoc tempus, niſi coactus obrepere:

pere: Quo equidem arbitror ſignificatum, vt & nos bene mane priuſquam dominus, id eſt, Sol ille iuſtitiæ exoriatur, ſimus parati & accincti ad Deo ſeruiendum, ne quid diei alióqui breuis & contracti fruſtra nobis elabatur. Videmus operarios etiam de nocte ſurgere, & horam vnam atque alteram in foro expectare aliquem patremfamilias, qui ſe conducat ad laborem, ne fortè occaſione neglecta illius diei mercede fruſtrętur. Quantò oportebit nos eſſe celeriùs in ſtatione, & promptiores in Domini aduentum, ne vel ab alijs præueniamur, vel aliquid mercedis æternæ deperdamus. Huc pertinet illud, Prouerb. 8. Qui mane vigilauerunt ad me, inuenient me. Pſalm. 62. Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Deinde, quòd idem ante occaſum petit quietem, deſignat nos, qui ſumus fideles ſerui, omnia debere ſumma cura & ſtudio reddere effecta, priuſquam Sol iuſtitiæ occidat, nobiſque rerum adminiſtratio eripiatur. Hoc tempus acceptum eſt & dies ſalutis. Operare dum habes lucem, ne te tænebræ opprimant. Verùm, vt olim Iudęi, ita & nos nunc obtorpeſcimus, tempus ſalutis compotando,

emendo, negotiando, plantando, turpiſſimè conterentes.

Tertio non fert in ſuo gregem parem: Solùs vult ſuis imperitare, laborat ineffabili zelotypia: Si quis fortè peregrinus acceſſerit, ab hoc non priùs deſiſtit manus conſerere, quàm vel victor vel victus euadat. Ad eundem modum & nos debemus amore dei exardeſcere, nec vnquã quantum in nobis, committere, vt vllus affectus, carníſue concupiſcentia in nobis dominetur, ſed ſola illa, quæ Deo omnipotenti tribuit gloriam, fides in nobis regnet & imperij teneat gubernacula. Quia non potes duobus dominis ſeruire ſimul, oportet aut Mammonæ iniquitatis valedicere, aut dei gloriam & gratiam amittere. Vnus in nobis triumphet & pal mam ferat ſupernæ vocationis. Es kan nicht mehr dann ein haushan ſein, ſicut & in vno homine vna voluntas, vna mens & vnum caput eſt.

Quarto, mirus in eo amor eſt erga gallinas, vt granulum verrendo fimum inue niens, non ſuſtineat id ſolus abſumere, quin omnes ad hoc epulũ conuocet ſuo cucurritu: Ita & nos mutuam dilectionẽ tanquam vnius corporis membra inter

nos

nos colamus, vt alij alijs inuicem comparcentes, fratrum negotium curemus, etiã noſtris, ſi res ferat, neglectis & poſthabitis. Quàm procul autem degenerauerimus ab hac galli proprietate, omnib9 conſpicuum eſt. Debemus in ſuo quiſq; miniſterio ceu in fimo inquirere, & ſi quod granulum reperiamus, id inter gallinas noſtræ Eccleſiæ partiri & diſtribuere, vt ſingulæ ſaturentur, & ad Dei gloriam fiant inſtructiores. Sed (malum) nos plærique omnes, quæ ſua ſunt, nemo quę vel Chriſti vel Eccleſiæ ſunt, amplius curamus aut cogitamus, vt verè illud Pauli ad nos diceretur: Alius quidem eſurit: alius autem ebrius eſt.

Sunt & aliæ proprietates, quæ mihi nõ ſatis conſtant, ſed vos qui enutritis domi9 eiuſmodi alites, poteſtis plura per vos obſeruare. Nunc ſupereſt, vt ſi qui ſunt, qui vel ſemel vel iterum vel tertio denegârint Chriſtum, modò amarè flendo cum Petro reſurgant & expergiſcantur è ſomno, quia gallus cecinit, nos excitauit, diemque Domini noſtri Ieſu Chriſti indixit. Iam proſtat oleum & quidem abſque pretio venale, id (dico) vobis comparate, ne cum virginibus fatuis excluſi, ne-

quicquam miſericordiæ fores diu pulſetis. Beati, ait Dominus, ſerui illi, quos cum venero, vigilantes inuenero, Amen dico vobis, quòd præcingam me & faciam illos diſcũbere, tranſiens adminiſtrabo eis. Ecce ſto ante oſtium, citò ad nuptias intraturus.

TERTIAE PARTIS Textus.

I. ADducunt ergo Ieſum à Caiapha in prætorium. Erat autem mane, & ipſi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarẽt paſcha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foris, & dixit: Quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc? Reſponderunt & dixerunt ei: Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum. Dicit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum. Dixerunt ergo Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam. Vt ſermo Ieſu impleretur quem dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus.

II. Introiuit ergo iterum in prætoriũ Pilatus,

latus, & vocauit Ieſum ad ſe, & dixit: Tu es Rex Iudæorum? Reſpondet Ieſus: A teipſo hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Reſpondet Pilatus: Nunquid ego Iudæus ſum? Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi, quid feciſti? Reſpondet Ieſus: Regnum meum non eſt de hoc mundo: Si ex hoc mundo regnũ meum eſſet, miniſtri mei vtique certarent, vt non traderer Iudæis: Nunc autem regnum meum non eſt hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu? Reſpondit Ieſus: Tu dicis, quia Rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeã veritati. Omnis qui eſt ex veritate, vocem meam audit. Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas?

Et cùm hoc dixiſſet, iterum exiuit ad Iudæos, & dixit eis: Ego nullam inuenio cauſam. Eſt autem conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in paſcha: Vultis ergo dimittam Regem Iudæorum? Clamauerunt rurſus omnes: Non hunc, ſed Barrabam. Erat autem Barrabas latro. III.

EXPLICATIO.

IN

IN hac parte inſtituimur de ijs, quæ prima ſtatim luce acciderunt in prætorio. Sunt autem tria hîc obſeruatu digna. Primum perſona Pilati. Secundum reſponſio Ieſu Chriſti ad eundem. Poſtremum Iudæorum conſuetudo de aliquo captiuorum in Feſto paſchatis dimittendo.

I Sicut igitur Iudas mãmonam iniquitatis & Caiaphas inanem gloriã: ita pontius Pilatus pollutã conſcientiam & omnes, qui ab hac diſcedunt, denotat. Nam hic vir probè intelligebat, quod nullam cauſam aduerſus Chriſtum afferrent Iudæi, ſed ex mera inuidia tradiderint: Intelligebat item ex reſpoſiõe ipſius Chriſti, quod nequaquam ſe fecerit eiuſmodi Regem, qui aduerſaretur Cæſari terreno, cuiuſmodi mentiebantur pontifices: Intelligebat deniq́ue, nullo iure poſſe in illum capitale conſtitui ſuppliciũ, ob quod & domi ſuæ flagellis caſtigauit, vt ſi quid commiſiſset, hac pœna penſaretur. Et tamen contra apertam veritatẽ, quam modò pluribus cognouerat argumentis, propter huius vitæ commodum & gloriam inanem capite damnat Chriſtum. Timebat enĩ, vt gratia Cæſaris excide-

ciderer,ſi eum, qui ſibi titulum regni Iudaici vendicârat,dimitteret impunitum: ſicut & in hunc diem plurimis ex nobis vſu venit. Quicunque enim intelligunt & facultatem habẽt pauperibus, afflictiſque ſuccurrendi : Sed tamen hoc ex ſeruili contra conſcientiam omittunt timore,ne ſcilicet & ipſi ſiquidem hæc erogarent, olim ad ſimilem redigerentur inopiam, ij reuera præferunt mundum & eius cæſarem Deo, ob quod & tanquam Chriſticidas meritò, niſi citò reſipiſcant, Deoque ſatisfaciant, cum Pilato damnabuntur. Mortem enim(ait Gratianus diſtinct. 83.) languentibus probatur infligere, qui hanc cùm poſsit, non excludat. Quo circa omnes qui aliter ſciunt ac faciunt, ſpiritualis ſunt Pilatus, qui pro qualitate facti Ieſum Chriſtum nunc in ſuo corde flagellant, nunc ſpinis coronant,nunc tradunt crucifigendum. Quid autem flagellare,quidque ſpinis coronare & cruci ſuffigere deſignet, ſpiritualiter in ſequenti parte aperiemus.

Alter locus ex tribus propoſitis eſt de verbis Chriſti ad Pilatum, quæ duo in ſe continent,nobis cognitu maximè neceſſaria. Prius eſt, quod dicit regnum ſuum II.

non

non eſſe de hoc mundo, id eſt, ſe non quærere terrena aut mundana, ſed gloriam Dei & noſtrûm omnium ſalutem. Nam etſi totus mundus & omnia, quæ in eo continentur, ſunt ipſius, vtpote per quem ſint facta, tamen vt patri obediret, noſque Deo lucrifaceret, ſe ad extremum vſque exinaniuit, forma ſerui aſſumpta; in qua nullum, vel cogitatum, vel verbum, vel factum propter ſe ſuſcepit vnquam, iuxta illud: Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt. Et Mattheus 20. capit. Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam pro multis, &c. Imò qui nobis perfectè obedientiam, aliáſue virtutes reuelaſſet, ſi vel leuiter impegiſſet in quoquam, nec in vniuerſum patris voluntatem perfeciſſet, An non, tum culpa ipſum redarguiſſet doctorem, & commodè illud retorqueri potuiſſet in eum: Medice cura teipſum? Iam verò, ſi IESVS Chriſtus ſua propria ob gloriam Dei & Eccleſiæ ædificationem, reliquit, quantò magis decebit nos aliena nomine eiuſdem Dei deferere, nec in iſtis tanquam noſtris gloriari, nobiſque ex hiſce inſeruire?

uire? Quæ enim hîc habemus talenta, noſtra mancipi non ſunt, ſed in tempus nobis commiſſa, & ideò commiſſa, vt exactiſsimam de his olim reddiderimus rationem. Maximè igitur nos attingit hoc elogium;& eſt quaſi proprium Chriſtianorum, vt cum illo verè dicamus: Regnum noſtrum non eſt de hoc mundo, id eſt, non regnat in nobis, vel Iudas, vel Caiaphas, vel Pilatus: Sed habitus huius mundi nobis prœterijt, ecce noua facta ſunt omnia, tantum quæ ſurſum ſunt ſapimus.

Poſteriùs autem, quòd dicit: Se in hoc miſſum à DEO patre in mundum, vt de veritate teſtetur, pulcherrimè oſtendit finem ipſius incarnationis: In hoc enim potiſsimùm aſſumpſit humanam naturam, nobiſque prædicauit, & pro nobis paſſus eſt, vt virtutum omnium veritatem proferret in lucem, atque in ſe perpetuò eaſdem lucentes poſsideret, iuxta illud: Nonne oportebat Chriſtum hæc pati, & ita intrare in ſuam gloriam? Sed nunc pernicioſè admodum imaginantur Lutherani, eum ſcilicet ideò deſcendiſſe de cœlo hominemque factum eſſe, vt eiuſmodi merita per neſcio quam

ſolam

ſolam fidem ſibi nihil boni operantibus imputentur: cùm tamen nec ipſius ſolius fidei nec iſtius portentoſæ imputationis vſpiam fiat in ſacra ſcriptura vlla mẽtio. Verùm de his in peculiari libro ediſſeruimus. Satis eſt nobis hîc, vt ſciamus ex ipſius Ieſu Chriſti ore, eum in hoc natum & ad hoc veniſſe in mundum, vt teſtimonium veritati perhibeat, nõ vt nos per ſolam fidem à bonis operibus redimat atque in peccatis derelinquat.

Tertius locus eſt de conſuetudine Iudæorum, qui ſemper vnum aliquem ex captiuis ſuis dimittebant ad Feſtum paſchatis: quam quidem cœremoniam itidem pulchrè applicaueris ad intellectum ſpiritualem. Nam in hoc Feſto per mortem Chriſti,vt ſuprà declarauimus, patefactæ & in lucem productæ ſunt maximę virtutes, ex quarum ſcientia animæ noſtræ poteſtas ſe vel ex peccati ergaſtulis liberandi, vel arctiùs ijſdem obſtringendi: Si per bona opera exonerat ſe iugo peccatorum & ſeruit poſthac iuſtitiæ, Chriſtum dimittit liberum. Vbi em̃ Dominus,ibi libertas: Sin verò perſiſtit contra conſcientiam in ipſis peccatis & repellit à ſe libertatẽ iuſtitiæ, tunc Barrabam,

id eſt,

id eſt, diabolum, qui verus latro eſt, permittit in ſe liberè graſſari & ſcelerib⁹ ineffabilibus ſeſe polluere. Eoque oportet nos qui cognouimus Chriſtum, nunc vnum ſpiritualiter dimittere, hoc eſt, vel liberatos à peccatis Chriſto ſeruire atque in Dei gloriam incumbere, vel liberatos à iuſtitia diabolo, id eſt, Barrabę homicidę ſeruire, mundique gloria efferri. Vt enim non poſsimus duobus Dominis ſimul, ita & neutri ſeruire nobis impoſsibile eſt. Nunc demum habemus poteſtatem, vel filios Dei, vel diaboli perfectè fieri. Ante paſsionem Chriſti nobis ſub lege peccati quaſi captiuos non licuit quicquam abſoluere, nec man⁹ vel ad verè bonum vel malum extendere, iuxta illud: Sine me nihil poteſtis facere: De plenitudine em̃ eius nos omnes gratiam pro gratia oportet accipere. Alióqui in peccatorum carcere pereundum nobis eſt. Per ſuam igitur paſsionem maximas patefecit virtutes, quibus anima à tænebris ignorantiæ: per reſurrectionem autem impertit ſpiritum ſanctum, quo corpus ab infirmitate carnis vindicatur & aſſeritur. Proinde ſicut Iudæi olim præpoſuerũt Barrabam, hoc eſt, gloriam & ſenſum carnalem qui

occidit ac damnat nos, ipſi Ieſũ Chriſto, id eſt, gloriæ Dei & ſenſui ſpirituali, ex quo iuſtificamur: ita quoq; maxima ex nobis multitudo, etiam nunc affecta eſt, qui malunt bonos dies hîc cum diuite epulone ad tempus videre, quàm iugum Chriſti commodum & ſuaue à peccatis liberati ſubire. Hinc & illud Petri ad nos haud iniuria dici poteſt: Vos ſanctum & iuſtum negaſtis, petijſtiſque virum homicidam donari vobis: Autorem verò vitæ interfeciſtis, &c. Omnes enim qui poſt Chriſti cognitionem carnalia ſapimus contra conſcientiam (Barraba dimiſſo) Ieſum Chriſtum occidimus & trucidamus.

QVARTAE PARTIS Textus.

I. TVnc ergo apprændit Pilatus Ieſum, & flagellauit.

II. Et Milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius.

III. Et veſte purpurea circumdederunt eum.

IIII. Et veniebant ad eum, & dicebant: Aue

Rex

Rex Iudæorum, & dabant illi alapas.

Exiuit ergo iterum Pilatus foras,& dicit eis: Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoſcatis, quia nullam inuenio in illo cauſam. Exiuit ergo Ieſus foras portans coronam ſpineam & purpureum veſtimentum, & dicit eis: Ecce homo. Cum ergo vidiſſent eum Pontifices & Miniſtri clamabant, dicentes: Crucifige, Crucifige eum. Dicit eis Pilatus:Accipite eum vos & crucifigite:Ego enim non inuenio in eo cauſam. Reſponderunt ei Iudæi: Nos legem habemus,& ſecundum legem debet mori, quia filium dei ſe fecit. Cùm ergo Pilatus audiſſet hunc ſermonẽ, magis timuit: Et ingreſſus eſt in prætorium iterum,& dicit ad Ieſum: Vnde es tu? Ieſus autem reſponſum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? Reſpondit Ieſus: Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi datum eſſet tibi deſuper: Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. V.

EXPLICATIO.

ETſi hoc in loco per multa ſcitu haud indigna contineátur dogmata, tamen ne modum compendij excederem, viſum fuit nobis, quinque duntaxat Deo aſpirante iam explicanda aſſumere. Primò, quidnam ſit ſpiritualiter flagellare Chriſtum. Secundò, quid ſpinis coronare. Tertiò, quid purpureis veſtibus induere. Quartò, quid cum impactis alapis Ieſum ſalutare regem Iudæorum. Poſtremò, quid ſibi velit verbum Chriſti ad Iudæos, dicentis: Ecce homo.

I. pars quid ſignificet flagellare.

Flagrum igitur ſeu flagellum diducitur à flagrando, quòd carnem percuſſam faciat flagrare: Nec eſt pœna capitalis aut extrema, ſed quaſi caſtigatio & animaduerſio quædam in eos, qui non commeruerant, vt capite plecterentur. Vnde Pilatus (teſte Luca) dicit, ſe nihil in Chriſto inuenire morte dignum, ob quod ſe velle emendatum, id eſt, flagellatum dimittere, &c. Ex his intelligitur, quinam ſint Ieſu Chriſti flagellatores, nempe qui ad exemplũ Pilati faciunt malum, vt eueniat bonum. Pilatus probè nouerat Chriſti innocentiam, & tamẽ in gratiam pontificum flagris eum afficit. Ergo quatenus

nus ad hoc, peccauit: Sed quoniã ex propoſito bono, nempe vt Chriſtum eriperet & vindicaret è cruentis Iudæorũ manibus, idcirco habet aliquam boni ſpeciem, nec eſt peccatum ſimpliciter mortale, cuiuſmodi Iudæ proditio, aut etiam Caiaphę falſorũ teſtium productio. Omnis ergo qui aliq̃d vel dicit vel facit, contra, quàm in animo ſentit, maioris commodi, boníue gratia, is Chriſtum flagellat. Ad hanc cohortem pertinent illi potiſsimùm, qui poſt factum dicunt: Non putâram. Eſt quidem veniale, ſemel atq; iterum commiſſum, ſicut etiam eiuſmodi flagellorum plagæ vna atque altera ſanabiles ſunt. At ſi ſæpius iterantur, fiunt mortalia peccata, quemadmodum idem pulchrè oſtendit flagellatio. Qui em̃ ſupra modum verberatur, tam occidetur, quàm qui gladio aut ſecuri.

Quæ autem ſunt ſpinæ, quibus caput, id eſt fides in Chriſtum (hic enim eſt corporis Dei ſpiritualis caput) redimitur, clarè diſcimus ex parabola de ſeminatore, Luc. 8. vbi traditur ſemen, quod à ſpinis erat exceptum, enatum quidẽ creuiſſe ad iuſtam ſui magnitudinem: Sed exortis ſimul ſpinis ſuffocatum abſque fructu II. *Locus de ſpinea corona.*

prouenisse. Ergo quicunq; verbum Dei audiunt, auditum accipiunt, in accepto creſcunt: Sed propter huius vitæ curam & ſollicitudinem voluptateſq; carnis nihil fructificant, ij ſpinis coronant Ieſum Chriſtum. De his ſic ait Apoſtolus, Galat. 3. Adeón ſtulti eſtis, vt cũ ſpiritu ceperitis, nũc carne cõſummemini? Et Baptiſta, Math. 3. Facite fructũ, inquit, dignũ pœnitentia. Alióqui vt arbor ſterilis quã mox excidemini. Securis enim iam pridem poſita eſt ad radicem.

III. Tertius locus eſt de veſte purpurea, qua induerunt Dominum noſtrum. Hęc deſignat haud dubiè hypocritica iſta opera, quibus defraudamus & circumuenimus fratres ſimpliciores. Nam vt veſtimentis nos tegimus contra iniuriam tempeſtatum & ornamus nos, ne quid turpe in corporibus noſtris appareat, ita & iſti hypocritæ ouina pelle cohoneſtãt ſe, vt ſub tali pietatis prætextu ſimplicibus pro ſua libidine imponãt. Præ ſe pręclarè ferunt Dei gloriam & proximi ędificationẽ, cùm interim nihil niſi propriã aucupentur gloriam, & aliorum damno ſuum augeant commodum. Ob quod & hæc veſtis eſt purpurea, vtpote ſanguine inno-

innocentum, viduarum & pupillorũ tincta & cruentata, quemadmodum & iſtius purpurati epulonis, Lucæ 16. Qui itaque hoc ſcelere fuerunt hactenus obſtricti, acta pœnitentia ad Dominum reuertantur, tum non modò pœnam quæ iſtiuſmodi parricidis parata eſt declinabunt & effugient, verumetiam à DEO inſuper veſtitu nuptiali donabuntur.

Eorum verò, qui alapas impingendo, ſalutant Ieſum Chriſtum Iudæorum Regem, haud parũ multi hac noſtra tempeſtate paſsim exiſtunt. Vbiq; enim locorũ in conuiuijs, in compitis, in tonſtrinis & balneis garriunt quidẽ euangelium Dei, verbiſq; magnificis iactant Ieſum ſuũ regem, ſuum ſaluatorem & redemptorẽ ſalutantes, &c. Sed quoniã re ipſa, opera & factis eundẽ penitus totũ pernegãt, adeò vt etiã in malitia inſtar Sodomitarũ glorientur (apertè eñ de ſe prędicant, qđ nil niſi peccent, nec aliud quicq̃ poſsint) idcirco hac ipſa ſalutatione ſimul impingũt ei alapã. i. arguũt ipſũ mẽdacij: Seruũ eñ, qui fidẽ in bonis ſibi cõmiſsis nõ pręſtat Dño, nec qđ is præcepit exequit̃, neceſſe eſt vel ludibrio habere ſuũ Dominũ, vel ꝓmiſsionibꝰ ipſius parũ fidere. Alióqui IIII. *Locus de ſalutatiõe.*

ſi eas verè crederet, haud dubiè, vt præceptum ſibi eſt, faceret. Qui autem Domini ſui verbis diffidit, is mendacij eum inſimulat. Proinde tota ſolius fidei turba hoc modo Ieſu Chriſti caput demulcet: Glorioſiſsimis atque magnificentiſſimis verbis ſalutant illum quidem ſuum regem, ſuum ſeruatorem, ſuũ redemptorem: Sed ſcelerum interea peccatorumque colaphis reddunt totum caput eius tuber.

V. Quintus locus, Iam ſupereſt vt Ieſu Chriſti verberibus, ſpinea corona, veſte purpurea inſigniti Regis Iudæorum vocem miſerabilem ſanè omnibus mortalibus conſideremus. Tali enim habitu ornatus in prætorio, exit foras & ſuum populum hiſcè verbis affatur: Ecce homo. Perinde ac ſi dicat: Ecce tibi pretium, quàm carè vos à peccatis, mihi redemi, non auro, non argento, non vllo ere, quo ipſi veſtros comparatis ſeruos, ſed meis ipſius vulneribus largiq; ſanguinis profluuio, quo ſanè nihil nobis, vel priùs, vel cariùs eſt. Vnde viciſsim à vobis haud obſcurè intelligitur, quantò plura & maiora & excellentiora, perfectioraque officia vos mihi, quàm veſtri ſerui vobis

præ-

præſtare debetis. Si Dominus aliquis vibicem aut leuem punctionem accipit pro ſerui ſui commodo & ſalute, nunquid is ad decem pluréſue rurſus in ſuum caput recipiendas iure obligatus eſt? Prçſertim ſi hoc nomine, hoc eſt, ad pugnandum pro ſuo Domino vocatus & conductus eſt, quemadmodũ vos certè omnes eſtis (omnes enim mihi tanquam duci & regi veſtro nomen dediſtis in baptiſmo, vt poſthac ſub ſigno crucis quoad hanc intueamini lucem, velitis pro meo ipſius corpore conſtanter militare) Nunc autẽ cùm iſtis oculis videtis mihi tot tantaſq; acerbas atque lethales plagas pro veſtri redemptione inflictas atq; impoſitas eſſe, redite quæſo tandem ad mentem & illuminamini, nec inſtar mularũ & equorum quibus nullus eſt intellectus, contra rerum naturam belligerate: Sed potius cum omni timore & tremore, vt decet ſeruos, tanto pretio redemptos, veſtram ipſorum operamini ſalutem, cogitantes vos ad hoc vnum à me prçdeſtinatos con ditos vocatos & redemptos eſſe, vt eiuſmodi maximam & perfectiſsimam fidem in omni tolerantia & patientia mihi prçſtetis & exhibetis.

Quare ſi poſthac talem Chriſti effigië vel ſculptam vel pictam intuearis oculis, aut etiam animo complectaris, confeſtim memoriã & cogitationes tuas excites ad debitum, quantũ ſit, & quomodo iſti benigniſsimo Domino, qui te apoſtatam & transfugam tam carè recuperauit ab æterna morte, ſatisfacias, omnemq́; tuam curam & rationes omnes in hoc defigas, vt & ipſe viciſsim nihil in poſterum ſis, vel agitaturus mente vel verbis dicturus vel re facturus, niſi certiſsimè depræhẽdas & ſcias id illi ſuiſq́; forè acceptum, gratum, commodum, honorificum, glorioſum. Hoc pacto eſt nobis hęc Ieſu Chriſti imago vtiliſsimum ſpectaculum, & quaſi tabula ſeu codex accepti & expenſi, ex quo legamus & perſpiciamus, quantum & ab ipſo acceperimus beneficiorum, & quantum viciſsim ipſius nomine tum expendendum, tum præſtandum ſit.

QVINTAE PARTIS Textus.

1 EXinde quærebat Pilatus dimittere eum, Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Omnis

Digitized by Google

nis enim qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari. Pilatus autem cùm audiſſet hos ſermones, adduxit Ieſum foras & ſedit pro tribunali in loco, qui dicitur Lithoſtratos, hæbraicè autem Gabbata. Erat autem paraſceue Paſchæ hora quaſi ſexta, & dicit Iudæis: Ecce rex veſter. Illi autem clamabant: Tolle, Tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? Reſponderũt Pontifices: Non habemus Regem, niſi Cæſarem.

Tunc ergo tradidit eis Ieſum, vt crucifigeretur. Suſceperunt autem Ieſum & eduxerunt eum, Et baiulans ſibi crucem & exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum, hæbraicè autem Golgatha. II.

Vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Ieſum. III.

EXPLICATIO.

IN hac quinta parte docemur de Pilati ſententia contra Chriſtum, vt ſuffigeretur cruci, lata, Item quomodo ipſe ſuam ipſius crucem à Iudæis iniectam portârit, ſitque in medio latronum ſuſpenſus & cruce af-

ce affectus. Ergo tria ſunt nobis hîc præcipuè diſcenda Primum, Pilati iniquitas. Secundum, quamobrem Ieſus ſuam ipſius portârit crucem. Tertium, eſt de pœnitentia alterius latronum.

I. Locus. Quòd igitur Pilatus conſcientiam & quidem peccato pollutam denotat, ſuprà eſt oſtenſum, & ſicut ibi quando flagellabat Chriſtum, aut ſpinis coronabat, veniale: ita hîc mortale & peccatum in ſpiritum ſanctum figurat, vt ſic in illo omnis cõpleatur iniquitas & peccatum. Abſque iudicio enim conſcientię nullum eſt aut committitur peccatum, id quod nemo, qui ſaltem ratione præditus eſt, non intelligit. Vnde & eo iudice oportuit Ieſum Chriſtum omni cruciatuum genere affici, nec potuit vſquam iuxta ſpiritum vel flagellari vel ſpinis redimiri vel crucifigi, niſi ſub hoc Pilato, id eſt, à tali conſcientia. Nam qui neq; bonum tenet neque malum, nec verũ nec falſum cognoſcit, ſicut bruta animantia aut pueri & ſtulti, hi nec verè peccant nec verè agunt ſecundum virtutem, iuxta illud Ioan. 15. Si nõ veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: Et capit. 9. Si cæci eſſetis, peccatum non haberetis: Nunc

verò

verò dicitis, quia videmus, idcirco, pecca tum veſtrũ manet. Qui enim ex ignorantia inuincibili peccant, hi vt nondum habent legem: ita & peccatum eis non imputatur, Roma. 5. præſertim ſi ſint baptiſati & in Eccleſiam Chriſti recepti. Sed de his alibi plura.

Ea propter qui ob priuatum commodum gloriámue inanem aliquid agit contra Ieſum Chriſtum, id eſt, apertam, ſibique patefactã veritatem (Chriſtus enim veritas eſt) is induit perſonam Pilati, & cum eo, niſi reſipiſcat, in perpetuũ damnabitur. Nam etſi ex varijs (vt ſuperiùs dixi) circũſtantijs deprærhenderat Chriſti innocentiam, tamen ne Cæſaris mortalis incurreret indignationem, hoc eſt, officium præſidis aut proconſulatum amitteret, maluit iniquæ ſententiæ pontificum ſubſcribere & inſontẽ morte crudeliſsima condemnare, quàm veritati à conſcientia ſibi dictatæ accedere & iuſtè iudicare. Quatenus igitur ad verbum nobis reuelatum tam peccauit, cæteris paribus irremiſsibiliter, quàm vel Iudas vel Caiaphas, dico autem cæteris paribus. Quia is, qui commoditate aliqua honeſta coactus aut impulſus edit facinus, etſi hac

cauſa remota,id nunquam per ſe commiſiſset,ſicut Pilatus, qui certè abſq; pontificum importunitate Chriſtum nunquã adiudicaſſet morti: tamen quoniam initium agendi penes ipſum fuit, & in ſua poteſtate habuit vel crucifigendi vel dimittendi illum, ideò in re parum aut nil intereſt,quanquam ratione facti ſeu finis ab iſtis diſsideat. Iudæ enim proditio & Caiaphę falſum teſtimonium ſimpliciter mala ſunt & fugienda. Pilati autem peccatum ex mixtis actionibus videtur, vt qui propter Cæſarem ſuum Dominum & item ob honeſti officij retentionem ſuſtulerit eum, quem pontifices atq; adeo totus populus (quanquam falſò) accuſabãt tanquam Regnum affectantem. Hinc Chriſtus ait: Qui me tibi tradidit, maius habet peccatum,& ob hoc etiam grauiùs punietur à Deo. Quia, vt fideles inter ſe different iuſtitiæ meritis in vita altera, ſic & diſcrimen erit inter peccatores & infideles, vt alij alijs acerbiùs excrucientur in inferno.

Quicunq; ergo, poſteaquã Chriſtum cognouit, vincitur & ſuperatur hoc Iudęorum & mundi elogio(Si hunc dimittis,non es amicus Cæſaris,id eſt,facit malum

lum vt eueniat bonum contra conſcientiam) is eſt Pontij Pilati gregalis, & hic oportunè cōmoneſit pœnitentię,vt poſthac iſti ſceleſto affectui, nō Pilato externo,ſicut hacten⁹,maledicat (ſi modò paſſionem Chriſti velit cum ſua audire ſalute) Quid alióqui tibi proderit hinc Pilati iniquitatē, iuxta hiſtoriā, perdidiciſſe,& tui grauiſsimi peccati interea ſecurè obliuiſci? Qui extra eccleſiā ſunt,hos iudicabit Dn̄s, nec eſt noſtrū iſtos vel damnare vel iuſtificare,de qua 1.Cor.5.& Rom.14.

II. Alter locus de cruce,quam haud dubiè nobis Chriſtus ideò pertulit, vt inde diſcamus & nos ſuam quenquā poſt ipſum pari,aut potius maiori obediētia portare. Alióqui ſerui fidelis nomen tueri nequimus,iuxta illud: Qui non baiulat crucem ſuā quotidie & venit poſt me, non poterit meus eſſe diſcipulus.Item,Gal.5. Qui Chriſti ſunt, carnem crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs. Qui enim non compatiuntur, non conregnabunt nec conglorificabuntur. Porrò crucē appellat vniuſcuiuſque vocationem ſeu talenta, quæ à Deo ſua quiſque in tempus accepimus,vt in ijs eiuſmodi præſtemus fidē, quæ ad Dei tribunal ſubſiſtere queat,

hoc

hoc eſt, maximam, quæ ſimul affectus ſimul concupiſcentias omnes in nos mortificat, ex quo & meritò crux vocata eſt. Admodum enim durum plenumq; cruciatibus eſt ſeruo, omnia agere, dicere, pati, perferre ob ſui domini gloriam & ſe ſibi ſuiſque quaſi alienum imò mortuum eſſe. Nec igitur quicquam inter ſe differunt, baiulare crucem, facere ſuum officium, præſtare fidẽ, &c. niſi quod duo poſteriora aliquantò latiùs pateant & philoſophos quoq; attingant. Crucem autem portare propria phraſis eſt ſcripturę, quam ideo, vt dixi, ponit & vſurpat, vt tu tibi carnique ſis crucifixus ac mortuus, vtque poſthac tuam voluntatem prorſus neſcias, ſoliq; Deo præſtes obedientiam. Vnde cernitur Lutheranos, qui ſeparant crucem à fide, ipſam Chriſti fidem abijcere & è medio tollere. Quandoquidem ille ſeruus à me verè iudicatur fidelis, qui mecum portat crucem, id eſt, meam gloriam etiam cum ſua ignominia quærit & promouet.

Porrò, alij Euangeliſtæ tradunt quendam Simonem, patrẽ Alexandri & Ruffi è rure profectum, à Iudæis adactum fuiſſe, vt tolleret ſeu portaret crucem Ieſu,

quod

quod idem in ſpiritu veriſsimũ eſt. Nam cùm Ieſus ſit caput, quod ſenſum & motum ſuggerit corpori ſpirituali, non incommodè dici poteſt, onus, quod corpus portat, ipſum caput portare. Quippe cùm caput in toto corpore, tanquam in ſuo regno dominetur, & omnia efficiat. Eſt enim citra dubitationem Simon ille figura Eccleſiæ, quæ Domini crucem per ſpiritum poſt ipſum perpetuo baiulat, id quod & nomen & deſcriptio pulchrè informat. Nam Simon eſt hæbraicè, obedientia, in qua certè viuit Eccleſia. Deinde cognominatẽ Cyrenæus ἀπὸ τοῦ κυριεύειν, vt opinor, id eſt, à dominando. Quia patientia vincimus omnia, contraque hoſtium noſtrorum impetum euadimus facilè ſuperiores. Poſtremò, quia habet duos filios, Alexandrum & Ruffum, id eſt, animam & corpus, quibus ambobus nũc portat & glorificat Deum, iuxta illud, 1. Corinth. 6.

Poſtremus locus eſt de duobus Latronibus, vtrinque cum Chriſto crucifixis, in quorum vno diuitias ſuæ immenſę erga nos miſericordiæ aperuit Deus & reipſa comprobauit, quod alibi nobis per ſuos ſeruos, tum prophetas, tum apoſto- III.

los promiſit & patefecit. Ita enim apud Ezechielem cap. 18. concionatur: Quare moriemini domus Iſrael, quia nolo mortem morientis, dicit Dominus: Reuertimini & viuite. Item 2.Pet.3. Deus, inquit Apoſtolus, patienter agit propter vos, vt qui nolit quenquã perire, ſed omnes ad pœnitentiã reuerti,&c. Quid autẽ ſit pœnitentia, ad quã nos inuitat Deus, ex græca μετανοια ſatis clarè explanat. Eſt enim compoſita, ἀπὸ τῆς μετα καὶ τοῦ νοῦ, id eſt, à præpoſitione trans, & à mente q. d. tranſmentatio ſeu renouatio mentis, quã ſanè eleganter deſcribit, vt omnia Paulus Rom. 12. vbi ait: Nolite confirmari huic ſeculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit volũtas Dei bona & beneplacens & perfecta, &c. Et Epheſ. 4. Vos in Chriſto edocti eſtis deponere ſecundũ priorem conuerſationẽ, veterem hominẽ, qui corrũpitur ſecundum deſideriũ erroris. Renouamini ſpiritu mẽtis veſtræ, & induite nouũ hominem, qui ſecundũ Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Itẽ Coloſ. 3. Nolite mẽtiri inuicẽ, expoliantes vos veterem hominẽ cum actib⁹ ſuis, & induentes nouũ, qui renouatur in agnitionẽ Dei

ſecun-

ſecundum imaginē eius, qui creauit eum, &c. Ergo vera pœnitentia, quæ nos Deo reconciliat, iuſtoſq; efficit, verſatur iuxta Apoſtolū, in mortificatiōe peccati & ſpiritus viuificatione, vt poſthac cœleſtis imaginem geſtemus, ſicut hucuſque terreni hominis geſtauimus imaginem.

Ad hanc autem pœnitentiā alij citius alijs vocantur, prout Deo placet, & ſibi glorioſum eſt, ſicut luculenter docet parabola de operarijs in vineam, Matth. 20. Quibus prima ſtatim luce offertur verbum veritatis (quemadmodum certè nobis, qui quaſi vnâ cum matris lacte Chriſti fidem imbibimus) hos oportet æſtum & pondus diei portare, & ſuſtinere vſque ad ſuæ vitæ veſperam: Alióqui ſi volunt murmurare contra patrēfamiliâs, id eſt, ſuum laborem negligere, nec illud, ad quod conducti ſunt, munus complere. (Id enim ſpiritualiter ſignificat murmurare, nempe DEO nolle obedire) Sed ocioſi ac deſides, per neſcio quam fiduciam miſericordiæ ſolamque fidem expectare, donec plures, vel hora tertia, vel ſexta, vel nona, vel etiam vndecima conducantur, cum quibus & ipſi nihil laborando, ęqualem mercedem recipiant, &c.

tum profectò ſemetipſos decipiāt & meritò damnabūtur, ſicut ibidem ſatis perſpicuè à Chriſto docemur: Deus em̄ poteſt in ſuis rebus facere quod vult, abſq; vllius contradictione. Nec tantum habet iuſtitiam maximam, quam nobis vult cognitam, ſed etiam miſericordiam ſeu benignitatē maximam, quam eandem vult à nobis in gloriā perſpectam. Illam quidem reuelat in te, quem ſummo diluculo conduxit in vineam, dum ipſi maximā in bonis commiſsis fidem præſtas. Hanc verò patefacit per eos, quos ſerò & in extrema ætate vocauit, dum pari gratia & merito, cæteris paribus eos dignatur. Ne igitur ſit oculus noſter malus, quia ipſe bonus & benignus eſt. Vnuſquiſque in ea, qua vocatus eſt (ait Apoſtolus) vocatione permaneat: Si hora prima, ne expectet tertiam, aut ſi hac illuminatus & conductus eſt ad obedientiam, ne reſpiciat ad ſextam nonámue: Tempus enim breue & contractum eſt, dieſque mali, vt & occaſio, ſi qua offerretur, redimenda eſſet, non temerè, ſicut non inſaniunt, amittenda & perdenda.

Nam vulgo ad exemplum latronis, qui velut vndecima aut tardius vocatus eſt,

referunt modũ iuſtificandi: Quaſi & ipſi per ſolam oris confeſsionem & nudam in miſericordiam, Dei fidutiam, abſque operibus ſui miniſterij ſaluari poſſent, etſi vel hora prima, vel tertia, vel ſexta nõ vt ille vix demum in fine vitæ ſuæ conducti, & gloria Dei illuminati eſſent. Sed quæ nam (obſecro) fuiſſet dementia, ſi primi ceſſaſent à labore, donec & extremi, qui vndecima hora conducẽdi erant, acceſsiſſent? Num putas iſtos à Domino fideles, iuſtoſque ſeruos fuiſſe iudicatos? Ecquid eſt aliud γογγύζειν, id eſt, murmurare contra Dominum, quam nec eius vocationi acquieſcere, nec æſtum & pondus diei portare velle: ſed ipſius ſapientiæ terminum & quaſi cancellos quoſdã circumſcribere? Imaginantur enim nos vno duntaxat mòdò ac ratiõe coram Deo iuſtificari, nempe per ſolam fidem ad exemplum ipſius latronis: Quod profectò nihil aliud eſt, quam dicere & aſſeuerare omnes vna hora, id eſt, vndecima, & nullos prima luce, vel tertia, vel ſexta, vel nona hora conductos eſſe: Imò vt veriùs dicam, Deo ſapientiam atque adeò omnes virtutes, prçter ſolam miſericordiã, eamque vitioſam eripere & tollere. Nam qui

poteſt ille paterfamiliâs cenſeri prudens aut ſapiens, qui ſuam vineam non excolat tempore oportuno, ſed iam facta veſpera demum operarios conducat? Aut qui poteſt idem tueri nomen iuſtitię iuſtíue iudicis, niſi ſit quædam vocationum & miniſteriorum differentia, ſecundum quam vnicuique, prout meruit & laborauit, tribuat? Certè ſi omnes ad exemplum latronis abſque bonis operibus iuſti ſumus & alieni meriti imputatione, ſequitur & iuditium, & iuſtitiam è medio ſublata eſſe. Quid enim tum ſeparabit nos inuicem, aut reliquum erit Deo, quod iudicet in nobis, ſi opera non iuſtificent, nec alium ab alio diſtinguant? Nam quatenus ad naturam attinet, omnes ſumus pares ex vno Adamo facti: Officijs tantùm variamus, & ſumus diſpares.

Quamobrem ſicut fructus non tam formant ipſas arbores, vt ex his vel bonæ vel malæ ſint & dicantur, quam etiam eaſdem diſtinguunt inter ſe, vt aliæ alijs vel peiores, vel aliæ alijs meliores vſurpentur: ita & nos à ſuis quiſque fructibus ſeu operibus, non ſolùm boni & mali, ſed etiã vel meliores vel peiores, itemque optimi aut peſſimi iudicemur: quũ

aliâs,

aliâs, quatenus ſcilicet ad ſubſtantiã, nulla prorſus ſit inter nos varietas aut diſsimilitudo, quemadmodum & inter arbores. Abſque fructu enim aut vſu neutra eſt vel melior vel deterior altera. Verùm de his copioſè diſputauimus ſuo loco. Vnum pios lectores velim admonitos, vt ſciant eiuſmodi exempla nequaquã nobis prȩſcripta tanquam ſpeciem et exemplar, quod imitemur aut cui nos conformemus, ſicut Lutherani inſaniunt: (Ad hoc enim nobis perſona Ieſu Chriſti deſeruit et à Deo miſſa eſt) ſed potius vt gratiam et miſericordiam Dei ergò nos inexhauſtam prædicent atque amplificent, quæ quidem tanta eſt, vt ne illis quidem, qui vndecima hora conducti ſunt, aut iam in agone mortis verſantur, prorſus deſperanda ſit. Deus enim omnipotens poteſt alium ſerò alium bene manè vocare in ſuam vineam, et hunc ſine operibus, illum per opera prout ſibi expedit iuſtificare, nec eſt vlla definita regio bonitati aut ſapientiæ ipſius conſtituenda aut determinanda.

SEXTAE PARTIS
Textus.

SCripſit autem titulum Pilatus, & poſuit ſuper Crucem. Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Hunc ergo titulũ multi Iudęorum legerunt, quia prope ciuitaté erat locus, vbi crucifixus eſt Ieſus. Et erat ſcriptum hæbraicè, græcè, latinè. Dicebant ergo Pilato Pontifices: Noli ſcribere Rex Iudęorũ, ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæorum. Reſpondet Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi.

EXPLICATIO.

ADmirabilis eſt Dei patris ſapientia & bonitas, qui opera ſua cuncta tam ordinatè diſponat atque diſpenſet, vt non modò ipſe gloriam, verùm etiam nos animarum ſalutem conſequamur, ſi modò vt hinc edocti eius voluntatem fecerimus. Quippe cùm nemo poſsit amplius prætendere ignorantiam, quaſi ſibi non ſatis apertè conſtitiſſet de ipſius voluntate, cùm adeò prope nobis adſit, vt etiã in ipſis irriſionibus & ludibrijs totũ ſalutis noſtræ negotium cótineatur. Nam hoc certum eſt Pontium Pilatum, quiſquis fuit ex ironia

in

in odium pontificum, qui neſcio quem regem & liberatorem ſomniabant, hunc cruci Ieſu Chriſti titulũ impoſuiſſe: Perinde ac ſi ad iſtos dicere voluiſſet: Vos Pontifices & Scribæ expectatis Meſsiam & Regem, qui vos è Romani Cæſaris poteſtate ſit erepturus, ecce hic habetis illũ veſtrum regem inter latrones exaltatum, &c. ob quam rem & ipſi pontifices cupiunt titulum mutari, ne eiuſmodi ignominiæ nota ſibi inuratur. Verùm enimuero vt iſte titulus erat ex inſtinctu diuino conſcriptus: ita amplius mutari nõ potuit. Quod ſemel Deus decreuit, id manet ratum, nec vlla ope aut cõſilio humano fiet irritum.

Quanquam igitur Pilatus animo irridendi hunc, vt dixi, titulum publicarit, tamen totum euangelium & redemptionem noſtram in ſe complectitur. Nam primùm in eo poſitum eſt nomen Ieſus, &c. quod quid ſignificet angelus, interpretatur Matth. 1. Vocabis, inquiens, nomen eius Ieſum: quia hic ſaluum faciet populum ſuum à peccatis ſuis, &c. Nam fons omnium peccatorum, & item acerbiſsimus iuxta ac peſtilentiſsimus morbus eſt Dei ignorantia, cui quoniam nul-

ſa alia creatura ſiue in cœlis ſiue in terris mederi potuit, ſicut ſuprà in prolegomenis oſtenſum eſt, quã Ieſus Chriſtus, Deus & homo, verus animarũ medicus, idcirco iure ſuo hoc nomine ſibi aſſumit & vendicat, vt is ſit & vſurpetur ſolus ſui populi, vt creator ita & ſaluator & redemptor. Niſi em̃ idem qui creaſſet nos, etiam ſuo verbo recreaſſet, ſed per alium quempiam nobis præſtitiſſet hanc à peccatis liberationem, tum magnam ſuę gloriæ portionem amiſiſſet, quod eſt contra illud: Gloriam meam non do alteri.

Vnde per hoc nomen Ieſus non iniuria ſacerdotium ſpirituale intellexeris, de quo & Dauid meminit: Tu (inquiens) es ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Quia licet omniũ legalium ſacerdotium ſit officium cõmune, vt doceant populum ea, quæ ad Dei cultũ pertinent: tamẽ quoniã hoc ſecundũ alium ordinẽ, .i. legem carnalem vt mundanũ faciunt, ideo imperfecti ſunt doctores, nec poſsũt ſuo verbo cõſcientias ſerenare, queadmodum diſertè teſtatur Apoſtolus, Heb. 7. Reprobatio, inquiens, fit pręcedẽtis mandati, propter infirmitatẽ eius & inutilitatem: Nihil em̃ ad perfectum adduxit lex. Item cap. 9. Hoc, inquit, ſignificante ſpiritu

ritu ſancto, nondũ manifeſtatam eſſe ſanctorũ viã adhuc priore tabernaculo habente ſtatũ, quæ erat ſimilitudo temporis inſtantis, iuxta quod munera & hoſtię offeruntur, quæ nõ poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere cultorem, &c.

Chriſtus autẽ, qui eſt ſacerdos ſeu doctor ſecundũ ordinẽ Melchiſedech, ſublato priori ſenſu carnali, per paſsionẽ ſuam manifeſtauit nobis illã ſanctorũ viam .i. maximarũ virtutum theſaurũ aperuit, & in lucẽ produxit, quarũ ſcientia ipſi verè liberamur à peccato, & cõſcientiæ pax introducit, ſicut idem ibidẽ ſcribit Apoſtolus: Sanguis (inquiẽs) Chriſti, qui per ſpiritũ ſanctũ ſemetipſum obtulit immaculatũ Deo, emũdauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendũ Deo viuenti, &c. Ecce tibi hîc luculenter vides, & quomodo te ſaluarit medicus Chriſtus à morbo ignorãtię, & quare nos ſuo ſanguine redemerit à peccatis, nempe vt poſt hac ſeruiamus Deo viuenti, nõ legi carnali aut mundo, ſicut hactenus à nobis factum eſt, cùm Dei voluntatẽ ignorabamus. Huc pertinet illud, Matth. 23. Ne vocemini Magiſtri, quia Magiſter vnus eſt Chriſtus. Item, Ioannis 13. cap. Vocatis me Magiſtrum & Dominum, &

bene

bene dicitis: Sum enim. Quia ſicut huc-
uſque nemo in Eccleſia Dei hoc nomen
Ieſus ſibi arrogauit, aut in baptiſmo eſt
paſſus ſibi id imponi, ita & hic ſolus eſt
noſter verus ſacerdos, verus Rabbi, verus
magiſter & Dominus, cuius ſcientia inte-
riorem hominem iuſtificat & nos ad vi-
tam illuminat æternam, iuxta illud: Ioan-
nis 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcāt
te ſolum verum Deum, & quem miſiſti
Ieſum. Item Eſaię 53. In ſcientiā ſua iuſti-
ficabit ipſe multos, &c. Quare ſicut pæda-
gogium præcedit forum & progymnaſ-
mata aciem, theoritica practicā: ita opor-
tet Ieſum prius ad nos in carne venire, pa
tris voluntatem enarrare, & nos docere,
quam ſpiritus ſanctus, qui nos in omnem
duceret veritatem, mitteretur, ipſiq́ue
Chriſtiani & Nazareni veri appellare-
mur.

II. Secundum igitur in titulo eſt Nazare-
nus, quo eleganter alterum Ieſu Chriſti
officiū adumbratur. Nam ſacerdotis mu-
nus non tantùm in docendo, de quo iam
diximus, verſatur, verumetiam in ſacrifi-
cando & victimis mactandis, tum pro po-
puli, tum pro ſuijpſius peccatis conſiſtit.
Eſt autem ſacrificium duplex, veteris &
noui

noui teſtamenti. Veteris teſtamenti victimæ peragebantur pecudibus: quia ſicut tum Iudæi ſeruiebant pro terra ſancta & reb' terrenis, ita & beſtias terrenas, id eſt, opera mortua & orationes mortuas pro peccatis Deo offerebant. Nam qui orat Deum, vt propter hanc vitam det ſibi panem corporalem aut alia bona, is certè nihil aliud petit, quã habet beſtia, necdum eſt ſeruus Dei æterni: ſed rerum creatarum & ventris corrumpẽdi mancipium. Chriſtianus autem, vt eſt ſpiritualis, ita quoque alium cultum præſtat Deo, nempe rationalẽ, vt poſt hac ſua ipſius membra ſiſtat ſancta, accepta & viuẽtia. Quod quidem fiet, ſi tibi carniq; mortuus poſt hac Dei inſeruias honori, ſicut hucuſque ventri tuo proſpexiſti. Nec oras amplius in tuo nomine, vt ſcilicet ipſe bene viuas, ipſe ſis ſanus & diues, ſed in Dei nomine, vt illius gloriam, tua ſanitate & diuitijs, propagare & illuſtrare poſsis.

Qui igitur ex doctrina Ieſu Chriſti ita eſt inſtitutus, vt nũc veteri homini, quatenus ad legem mentis, omnino ſit mortuus, id eſt, non tantùm à peccatis ignorantię & alijs redemptus, ſed etiam ſcientia omnium virtutum ſpiritualium imbutus

butus

butus & exornatus eſt, is dicitur Nazarenus, id eſt, Deo conſecratus & ſeparatus à mundanis concupiſcentijs. Nam etſi ex Chriſti verbo & exemplo didiceris maximas virtutes, quas ſuprà demõſtraui, tamen niſi tuo priori affectu, carnaliq; voluntati ſimul moriaris, nihil tibi ꝓderit Chriſti vel aduentus vel paſsio. Sicut em̃ neceſſe eſt (verbi cauſa) vt ancilla abs te ad certũ miniſterium conducta, priorem ſenſum & voluntatẽ, quã de ſuo cõmodo hacten⁹ habuit, deponat & abijciat (Alióqui ſi idem, ꝙ antea ſentiat, tibi profectò fidem nunquã prętiterit) ita & nos nunc Dei voluntatẽ edocti, certiſq; miniſterijs prępoſiti, deponamus oportet hominem veterẽ, iſtiq; ſenſui carnali moriamur & quaſi Nazaræi fiamus .i. à nobiſmetipſis alienemur & ſeparemur. Cæteróqui Deo placere nõ poſſumus, iuxta illud, Rom. 8. Quia ſapientia carnis eſt Deo inimica. Quare hoc ſecundũ tituli nomen ex pręcedente tanquã effectus fluit & ſequitur. Nam ſi Ieſus verus ſalutis Magiſter nos in carne, quid deceat, erudiuit, tum per ſpiritũ efficimur Nazareni .i. ſeparamur à terra & prioribus concupiſcentijs, reddimurq; apta materia & ſeges, ex quã glo
ria

ria Dñi poſsit ſurgere, Deo fructificare.

Tertium igitur nomen eſt Rex, quod quidẽ ſe haud ſecus habet ad priora duo, quam perfectio ſeu forma, aut vt clarius dicã, ſpiritus. Nam priora duo nihil proſunt, imò plurimũ abſunt, niſi hoc tertiũ quaſi finis rei acceſſerit. Aut ipſe dicas velim quid iuuat ſeruum, etſi ſuę voluntati mortuus tuam vel exactiſsimè ſciat, niſi & eandem vt ſcit, faciat & exequatur? Quia non eſt ſatis ad fidem, quæ à ſeruo requiritur, vt malum & Domino inimicum omittat, ſed inſuper oportebit eum bonum facere, & præceptũ voluntatem in ſe tanquam in membro Domini habere efficacem. Itaque tertio loco ponitur in ipſius crucis inſcriptione.

Rex ſeu Dominus, quo effectus & vera bona opera deſignantur. Niſi enim eam, quã modò ex morte Chriſti didiciſti, maximam dilectionẽ & iuſtitiã & ſapientiã opere cõpleas, profectò membrũ Chriſti non es, iuxta illud: Eſtote imitatores Dei, Dei inquã, & ambulate in tali dilectiõe, quali Chriſt' nos dilexit. i. in maxima. Ità eñ ipſe nos dilexit, vt cõſtat ex plurimis ſcripturę locis, Ioan. 13. Mandatũ nouum do vobis, vt diligatis vos inuicẽ, ſicut ego dilexi

III.

Epheſ. 5.

dilexi vos, id eſt, perfectiſsimè. Matth. 5. Eſtote perfecti, ſicut pater veſter cœleſtis perfectus eſt.

IIII. Quarto & poſtremo additur (Iudæorum) quæ vox diſcernit Regnum eius à regno mundano. Nam alij reges & principes carni ſeruiunt & eius gloriæ: Chriſtus autem ipſiuſq; membra ſunt reges Iudæorum, id eſt, ſpiritualium virtutum, quas in gloriã ſolius Dei dirigunt. Quia Iudæi bifariam accipiuntur in ſcriptura: Sunt em̃ externi, quorum laus ex hominibus, & interni ex Deo, de quibus Romanis 2. Ne igitur hic intelligas eos qui in manifeſto ſunt Iudæi & hominum manib' facti, ſed qui ſpiritu ſunt tales, id eſt, cognitores & effectores diuinarum virtutum. Hi enim ſunt ſacerdotes & reges, ſeu vt Petrus vocat, ſacerdotium regale cum Ieſu Chriſto ſuo capite, & propter eundem communem ſpiritum iure quodammodo vendicant ſibi eiuſdem crucis titulum & inſcriptionem. Ex his paucis arbitror aliquatenus intelligi, quod ſub initiũ de hoc titulo prædicauimus, nempe quod in ipſo totius Chriſtiani hominis curriculum contineatur, & qui iuxta hanc ſuam inſtituit vitam, is profecto fidelis

delis ſeruus eſt, & olim emeritus iuſtitiæ coronam reportabit.

SEPTIMAE PARTIS Textus.

MIlites ergo cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius. I.

Et fecerunt quatuor partes, II.
vnicuique militi partem, & tunicam.

Erat autem tunica inconſutilis deſu- III.
per contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit. Vt ſcriptura impleretur, dicens: Partiti ſunt veſtimenta ſibi, & miſerunt ſortem, & quidem milites hæc fecerunt.

EXPLICATIO.

DE tribus hîc dicemus. Primò de ipſis militibus qui nam illi ſint, qui Ieſu Chriſti veſtimenta diſsipent, & qui rurſus illi, qui legitimè vtantur. Secundò, quare illorum quatuor. Tertiò, quid ſibi velit tunica inconſutilis.

I. Locus. Si nihil fruſtra proditū eſt in ſacris literis, quis adeò inſaniet, vt hanc de militum ludo hiſtoriam putet ob nudā & inanem ſui cognitionē eſſe pręſcriptā? Poſſunt igitur milites, iuxta ſpiritualē intellectū, bifariam accipi: Vno modo ꝓ doctoribus iiſdemq́; vel bonis vel malis. Hi enī ſępè Chriſti veſtimēta .i. ſcripturā inter ſe variè partiuntur: Alij, vt ad ſe gloria & commodum redeat: Alij, vt ad Deum, de his legimus 1. Timoth. 1. Hoc, inquiens, præceptum cōmendo tibi, vt milites in eo bonam militiam, habens fidem & bonā conſcientiam. Item 2. Timoth. 2. Tu igitur, inquit, labora ſicut bonus miles Chriſti, &c. Atq; idē vt bonos milites ſeu doctores ſeparet à malis, cōtinuò ſubiungit: Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit: Nam & qui certat in agone, nō coronabitur, niſi legitimè certauerit, &c. Ergo Ioānes hic verba facit de militibus, qui illegitimè certant, quiq; ſuū quærūt, ijs, quæ Ieſu Chriſti ſunt, neglectis, de quibus Philip. 2. et 3. Cauete, inquit, canes cauete operarios, cauete conciſionē. Et paulò poſt: Multi ambulant quos ſępe dicebam vos, nunc aūt & flens dico, inimicos

micos crucis Chriſti,quorum finis interi tus,quorum Deus venter eſt & gloria in confuſione ipſorum qui terrena ſapiunt.

Altero autem modo ad vnũquenq; noſtrum hæc referenda eſt hiſtoria non ſolùm ad doctores.Oẽs enim in hoc vocati & conſtituti ſumus à Deo,vt ſuos quiſq; deuincamus &expugnemus hoſtes. Hinc illæ militares Apoſtolorũ cohortationes, quibus nos ardẽtiſsimè concitant ad hoc ſpirituale ꝑliũ ineundũ.Eph.6.Quod ſupereſt,inquit Paulus,fratres mei: Cõfortamini in dño & in potẽtia virtutis eius. Induite vos armaturã Dei, vt poſsitis ſtare,&c. Itẽ.1.Cor.9. An neſcitis quòd qui in ſtadio currunt,oẽs quidẽ currunt, ſed vnus accipit brabium. Sic currite, vt comprehendatis. Et Hebræ.12. Proinde fratres,inquit,abiecto omni onere per patientiam curramus in propoſito nobis certamine,reſpicientes ad fidei ducẽ & conſummatorẽ Ieſum, qui ꝓ propoſito ſibi gaudio ꝑtulit crucẽ,ignominia contẽpta & ad thronũ Dei cõſedit: Reputate eũ, q talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionẽ,ne defatigemini animis defecti.Item.1.Petri.2. Chariſſimi, obſecro vos tanquam aduenas

& peregrinos abſtinete à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam, conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod obtrectant vobis, quaſi maleficis ex bonis operibus æſtimantes vos, glorificent Deum in die viſitationis.

Quoniam autem nobis non cum carne & ſanguine manus conſerendæ ſunt, ſed cum principibus & poteſtatibus rectoribuſque harum tenebrarum & ſpiritualibus nequitijs: idcirco in eodem Apoſtolorum ludo edocemur, à quibúſnam fabris & opificibus comparemus nobis arma ad eiuſcemodi potentiũ hoſtium impetum reprimendum atque frãgendum. 2. Cor. 10. Arma, inquit, militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, quibus concilia demolimur, omnemq; altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigimus, omnem intellectum in Chriſti obſequium. Item Epheſ. 6. Propterea accipite armaturam Dei, vt poſsitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induite thoracem iuſtitiæ, calceatique pedes

des in præparationem Euangelij pacis. In omnibus ſumẽtes ſcutum fidei, quo poſſitis omnia tela nequiſsimi ignea extinguere. Et galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei viuentis, &c. Veri itaque & ſpirituales milites ſunt, qui omnes carnales virtutes, omnes mundanos affectus & cõcupiſcentias per fidem in Chriſto Ieſu vincunt, ſpoliant, exanimant, de hijſque triumphant, iuxta illud: Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum. Et hæc eſt victoria quæ vicit mundum, fides noſtra. Fides enim fundamentum eſt iuſtitiæ, atque adeò omnium ſpiritualium virtutũ, quæ ſunt veri Ioſephi polymita, omniumque Chriſtianorum veſtitus & habitus ſempiternus. Coloſ. 3. Induite ergo, inquit Paulus, vos, ſicut electi, ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, &c.

Vnde ſequitur & ècontrario alios omnes qui hæcce Ieſu Chriſti veſtimenta, id eſt, virtutes & potentias ſpirituales, quas Deus ſuas cuique ſibi in gloriam ad tempus conceſsit, ſordibus perfidiæ polluũt & contaminant, eſſe ex horum militum,

grege & numero, qui hic Ieſu Chriſti ab ſe in crucē acti veſtes teſſeris luſorijs partientes, in rem ſuam conuertunt. Nec eſt in veritate tota huius carnalis vitæ conuerſatio & politia ludo diſsimilis. Nam ſicut luſores non tam iactu teſſerarum, quàm etiam obliquis artibus & vafris technis inter ſeſe decertant atq; digladiantur, quid quantumq; rerum expoſitarum quiſq; teneat & adipiſcatur, ita & in hac communi vita omniumq; cōmertijs cernere eſt, vt quóue iure, quáue iniuria alius aliū poteſt de gradu dimouere, ſibiq; rem in medio poſitā lucrifacere, id totis viribus tentet, ſtruat, affectet, moliatur, ſuſcipiat, perficiat. Quare hic locus patet latiſsimè & ferè ad oēs pertinet, qui negotijs mundanis impliciti ſunt. Deus dedit ſua cuiq; dona & certas virtutes, quibus in Eccleſiæ ipſius ædificationem incumbamus. Has ſi quis noſtrûm transfert ad carnē, & ſibi ſuoq; honori hiſce inſeruit, hic ex iſtis heroibus eſt, qui Ieſu Chriſti veſtimenta, id eſt, dona & virtutes ludo perdunt.

II. Locus Porrò textus habet milites hunc Chriſti veſtitū in quatuor partes ſingulas ſingulis diſtribuiſſe: quia ſicut quatuor ſunt princi-

pes virtutes,ſapientia,iuſtitia,temperantia,fortitudo,quibus Chriſtus, omnesq; ipſius ſancti & membra induti ſunt. (Per ſapientiā enim Deū cognoſcimus: per iuſtitiam præſtamus ei fidē & obedientiā: per temperantiā moderamur nos, vt oīa ſiamus omnibus,& neminem ſiue firmus ſiue infirmus ſit,offendamus.Per fortitudinem deniq; cuncta illius nomine ſuſtinemus,& vſq; ad finem in fide perſeueramus.) Ita è regione quatuor poteſtates & ſpirituales aſtutię hiſce contrarię in vnoquoq; noſtrûm cōſpiciuntur: Calliditas, perfidia,ſuperbia,peruicacia ſeu obſtinatio: Quæ quidem ſi in te dominantur, vt calliditas vincat ſapientiā, perfidia iuſtitiam,temperantiam ſuperbia, & obſtinatio patientiam,tum certò ſcias te horum gregalem & commilitonem.Rectè igitur quatuor ſunt qui domini hæreditatem inter ſe patiuntur.

Cæterùm & tunica incōſutilis, in quam miſerunt ſortem, commodiſsimè poteſt itidem duobus modis intelligi, vt aut ad ſcripturā ſacrā,aut ad ipſas creaturas referatur.Nā natura ita à Deo comparata eſt, vt ſibi ſemper & vbique conſtet, nec vllam, quatenus ad ſubſtantiam, admittit III. Loc.

 varieta-

varietatem. Sol in capricorno conſiſtens, tam hoc noſtro tempore conuertit curriculum ſuum, & ſenſim per certos parallelos aſcendit in partem diuerſam, quam olim ante tria aut quatuor millia annorũ circumlatus eſt. Idem & in Luna, cęteriſque planetis inferiorib' & ſuperioribus depræhẽditur, vt ſiue retroeant ſiue progrediantur, ſemper intra ſuos limites ac fines conſiſtant, nec vnquam temerè euagentur. Sed nunc accedã ad terrena, quæ nobis aliquantò ſunt propiora & magis nota. An non lupus tam rapax in hunc diem exiſtit, quàm tempore Chriſti, cum iubebat ille, vt nobis ab huiuſcemodi feris caueamus? Sic & ouis æquè placida & vtilis eſt. Sus ęquè immunda, Canis ęquè ſagax & mordax, vt etiam nunc, ſi illi des ſanctum, in te conuerſus laceret. Similiter habent & ſenſuum expertia, vt poma, pyra, perſica, ceraſa, quæ ſuo ſapore & qualitatibus hoc anno proueniunt, quibus ſuperiori & antehac ſemper. Mirifica enim eſt creatarum rerum contextio, qua aliæ ex alijs ſemper generẽtur, & Dei ſui architecti gloriam illuſtrent. Vno igitur modo licebit nobis de verbo Dei viſibili interpretari hanc tunicam inconſũtilem,

ſutilem,de quo Pſalm. 18. Cœli enarrant gloriam eius, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Item,Pſalm. 110. Magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius, id eſt, vetus & nouũ teſtamentum illuſtrant & erudiunt.

Altero autem modo poterimus etiam audibili Dei verbo,id eſt, ſcripturę ſacrę, & oraculis, quibus præ alijs gentibus Iudæos dignatus eſt Deus, accommodare. Quandoquidem & ſcriptura ſibi nuſquã non conſtat, & artificioſiſsimè contexta eſt à ſummo vſque ad imum ,vtpotè vnũ corpus, quod licèt ex varijs membris & prophetis conflatum ſit, tamen propter ſpiritus vnitatem perpetuus omniũ conſenſus eſt, nec vlla poteſt in ipſo reperiri antinomia, ſi modò ducem ſequaris Eccleſiæ Chriſti intellectum. Nam homini carnali,qui ea quæ Dei ſunt,minimè percepit, nihil eſt vel magis inter ſe repugnans,vel minus cohęrens, quam ipſa ſcriptura. Vnde ea nõ tã huic carnali homini apparet quaſi ſcopæ diſſolutæ,ex quibus nihil iuuatur, quàm etiam in ſuam ipſius perniciem detortã interprætatur: quod quidem certè multò deterius eſt,atque ſi nunquam quicquam de ipſa deguſtaſſet

aut auribus percepiſſet. Hoc morbo laborat fermè incurabiliter ſola fides, quæ ſemel è germano & ſpirituali ſenſu egreſſa, non poteſt non pernitioſiſsimè & errare, & alios ſecum in errores horribiles inducere. Attamen licet hactenus gnauiter omniq; ſerpentis antiqui aſtu molita ſit hanc, ſicut & iſti milites, tunicam Chriſti diſcindere. (Multorum eñ Prophetarum, Apoſtolorum ſcripta reijcere audacter attentauit) fruſtrà tamen operam ſumpſit, & rem, vt aiunt. actam egit. Quippe cùm oportuerit illud Chriſti implere: Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Manet igitur indiuiſa tunica illa inconſutilis.

OCTAVAE PARTIS
Textus.

I. STabant autem iuxta crucẽ Ieſu, mater eius & ſoror matris eius, Maria Cleophæ & Maria Magdalena.

II. Cùm vidiſſet ergo Ieſus matrem & diſcipulum aſtantem, quem diligebat, dixit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſuã.

Digitized by Google

Poſtea ſciens Ieſus, quia iam omnia cõ- III.
ſummata ſunt, vt conſummaretur ſcri-
ptura, dicit: Sitio. Vas aũt erat poſitum
aceto plenum. Illi verò ſpongiam plenã
aceto hyſopo circumponentes, obtule-
runt ori eius.

Cùm ergo accepiſſet Ieſus acetum, di- IIII.
xit: Conſummatum eſt, & inclinato ca-
pite, tradidit ſpiritum, &c.

EXPLICATIO.

IN hac parte quatuor ſunt nobis prçcipuè animaduertenda. Primùm, de cultu parentum iuxta literam. Deinde de teſtamento, quod erexit Chriſtus cum matre ſua chariſsima. Tertiò, quid vinum mirrhatum, ſeu, vt Ioannes vocat, acetum, deſignet. Poſtremò, quid ſibi velit verbum conſummatũ eſt, & quòd inclinato capite tradiderit ſpiritum.

Hic oportet me nõnihil à re diſcedere I.
propter infirmiores, atq; adoleſcẽtes ad- *Locus de*
monere Chriſti exẽpli, ꝗ ne in cruci qui- *cultu pa-*
dẽ matris ſuæ dilectæ ſit oblitus. Magna *rentum.*
nũc eſt & horribilis diſſolutio inter nos,
ꝗ vſurpamur Chriſtiani. Vix cẽteſimum
quem-

Digitized by Google

quemque reperies in hoc ſeculo ſub ſola fide natum & educatum, qui ſuos parentes vel iuxta legem naturæ (vt interim de ſpirituali taceam) colit & veneratur. Vnde & impoſsibile quodammodo eſt eos vel verè cognoſcere patrẽ cœleſtem, vel cognitum verè colere & adorare poſſe, iuxta illud: Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt, & qui in modico iniquus eſt, & in maiori iniquus eſt. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuiſtis, quod verum eſt, quis credet vobis? Nam ſi patrem, quem vides oculis, & matrem, quæ te nouem menſes ſub pectore geſtauit, magna cura aluit, abſterſit, educauit, tradidit præceptoribus, & in hunc diem non aliter atque ſuum ipſius cor amat & amplectitur, non potes honore ſuo afficere & venerari: quomodo verum patrẽ, dico cœleſtem, quem nunquam vidiſti, nec eius beneficia ita ſenſiſti, dilexeris? An non ſumus ipſis infidelibus deteriores, imò quàm pecudes minus morigeri? Cernis catellũ aut porcum aliquot menſes benè tractatum, comitari te & tibi ſuo domino beneficium quaſi rependere. Et tu illos, qui te tanta cura, labore, ſumptibus educarũt & inſtituerunt, non modò

non

non debito amore & honore proſequeris, verum etiam ipſos ceu hoſtes & quidem capitales interdũ perſequeris? Ariſtoteles vidit neminem poſſe, vel deo, vel parentibus, τὴν ἀξίαν ἀποδῶσιν: & nos Chriſtiani, id eſt, ſpirituali intelligentia prędíti, hoc loco ſuperamur. Verũ culpa huius magna ex parte eſt parentum, qui tantum ſuæ indulgent ſoboli. Ipſe vidi hiſce oculis, pueros, vixdum quatuor annorum, veſtibus monſtroſè diſciſsis & laceratis, ferreoq́; pugione accinctos, haud ſecùs ac ſi in acie contra hoſtem dimicaturi eſſent. Ipſe item ſepenumero audiui, haud citrà ingentem animi mei dolorem iſtiuſmodi puellos ſceleratè nomen Dei viuentis prophanare, nunc vulneribus, nunc cruci Ieſu Chriſti, pro nobis ſuſceptis maledicentes, ex quibus diris execrationibus parentes, non modò nihil mouebantur, qui in eos animaduerterent, ſed inſuper etiam voluptatẽ eamq́; haud mediocrem capiebant, vt qui in virum grandem talibus inſtitutis euaſuri eſſent. Deus igitur nobis loco pœnæ infligit iſtiuſmodi natorum contumatiam, & ingratitudinem, vt ſicut noſtros erudiuimus & plantauimus, ita ipſi primùm deguſte-

guſtemus fructum. Sed de his alibi edifſerendum eſt, nec videtur huius loci proprium, vt talia tractemus. Vos hæc debetis afferre, & ex ipſa natura domi haurire, vt nunc vaſa ſitis idonea ad nouum euangelij muſtum capiendum.

II. Locus Venio igitur ad locum huius partis ſecundum, quem pauci, quod ſcio obſeruant, licet longè maximus & vtiliſsimus ſit. Nam hîc facit Ieſus Chriſtus dominus noſter cũ matre ſua chariſsima, atq; adeò cum omnibus Chriſtianis perpetuũ pactum & teſtamentũ, quemadmodum et Matth. 28. quòd ſcilicet nobiſcũ permanſurus ſit vſq; ad diem nouiſsimum & huius ſeculi conſummationem. Qui enim aſtat cruci Ieſu, & habet veram germanáq; fidem, id eſt, complet illud, in quod poſitus eſt, miniſterium, hunc ſine dubio Ieſus Chriſtus oculis miſericordię videbit, id eſt, faciet eũ videre, quòd nõ ſit ipſum deſerturus, ſed potiùs vt matrẽ ſuam Mariam, ita & ipſum diſcipulo dilecto Ioanne, id eſt, gratiæ patris cõmẽdaturus. Oẽs enim fideles ſunt & debent eſſe mater Dei ſpiritualis. Vtpote Ieſum Chriſtum. i. voluntatem Dei parientes, iuxta illud: Mater mea & ſoror & fratres mei ſunt, qui faciunt

ciunt voluntatem patris cœleſtis, &c. Facere autem voluntatem patris, eſt credere ſeu fidem præſtare Deo. Ergo omnes fideles ſpiritualiter ſunt Ieſu Chriſti mater. Atq; vt melius intelligatis, quomodo pij pariant Deũ, oportet nos rẽ paulò altius repetere. Deus eſt iuſtus per iuſtitiã, ſapiens per ſapientiã, miſericors per miſericordiam, &c. quæ dicũtur eius naturalis filius. Quippe cùm ex eo, qui ἐνεργεία eſt eiuſmodi ſemper natus ſit & exiſtat, nec poſsit vllo tempore aut ratione ab illo ſeparari, quanq̃ ſuis proprietatibus inter ſeſe diſtingui poſsint. Quamprimum enim iuſtitia, quæ ἐνεργεία eſt, ab ipſo patre fuerit diſiuncta & ſeparata, ipſe amplius talis & eiuſmodi non eſt, id eſt, iuſtus. Hinc ſatis manifeſtè intelligitur, iuſtitiã, ſapiẽtiã, potentiã, mĩam, &c. eſſe eiuſdẽ eſſentię cũ iuſto ſapiente, potẽte, miſericorde Deo. Quia ab æterno ei inſunt, & abſq; eo nunquam & nuſquã ſunt. Iam verò ſi tibi eandem ſapientiã, iuſtitiam, potentiam, miſericordiam, &c. mittit & reuelat, tuq; in reuelatis viuis & fructificas, nónne & ipſe paris Deum? Paris enim iuſtitiam & ſapientiam, quæ ſunt Ieſus Chriſtus Dei filius. Vnde hucuſque

piè

piè & catholicè creditum eſt, contraque inferorũ portas propugnatum. Mariam eſſe θεοτόκον, id eſt, Deiparam, vt quę deum genuerit, non hominẽ tantùm. Idem & nobis, qui nomen Chriſto dedimus, in ſpiritu imitandum eſt, vt ſcilicet & ipſi gignamus Deum, id eſt, voluntatem dei. Aut dic mihi, quid eſt tua voluntas, quã tu ipſe? An non ſeruus, qui contra voluntatẽ Cæſaris facit, contra ipſum facit Cæſarem? Proinde, ſicut tua voluntas, & tu ipſe, eſtis idem: Sic & Deus & ipſius voluntas ſunt idem. Tu autem faciens voluntatem Dei, es fidelis & paris iuſtitiam, id eſt, Chriſtum. Igitur Deum generas & es mater Ieſu ſpiritualis. Ex his ſpero nõ-nihil lucis acceſsiſſe huic loco. Nunc paucis conſideremus verba textus Mater Ieſu, id eſt, fideles, ſtantes iuxta crucem, id eſt, ſuum officium facientes (Hæc enim eſt crux, quam pro ſe quiſque poſt Chriſtum portemus, vt ſuprà oſtenſum eſt) videt Ieſus, id eſt, miſeretur ipſorum, & dilecto ſuo diſcipulo, id eſt, gratiæ Dei (Ioannes enim hæbraicè declaratur Dei gratia) commendat, quæ & adeſt & eos protegit, ſeu in ſua recipit, donec plenè reddantur perfecti.

Nec equidem dubito, quin ob hunc ſpiritualem ſenſum ab Eccleſia catholica potiſsimum receptum ſit (licet plerique hactenus id ignorarint, aut imaginibus abuſi ſint) vt fermè vbique ſubter crucem Ieſu, collocent Mariam & Ioannem. Quia ſpiritualis Maria, id eſt, Eccleſia ſemper eſt ſub cruce, & adſtat ei Ioannes, id eſt, gratia Dei, quę ipſi in omnibus adeſt, eam defendit contra ſuos hoſtes, & in omnem ducit veritatē. Maxima igitur conſolatio pijs in hac figura propoſita eſt: Et quoties eam intueamur nunc, mox cogitemus nobiſcum, Eccleſia, & nos in ipſa, licet ſimus ſub cruce, tamē habemus gratiam Dei, verum Ioannem nobis adiunctum, cui & ita cōmendati ſumus à Chriſto in ipſa cruce, vt nos confeſtim in ſua reciperet, in quibus & nos ita retenturus eſt, vt nemo ex ipſius manib⁹ nos ſit erepturus. Quia Pater maior omnibus eſt.

Poſtea ſciens Ieſus, &c. In hoc tertio loco, Ioannes noſter admodum breuis eſt. Tantùm enim vnam cōmemorat hiſtoriam de aceto, quem Domino noſtro propinarunt in cruce, poſt quem potum inclinato capite, emiſit ſpiritū. Alij Euangeliſtæ, præcipuè Matthęus, aiunt eum *III. Locus.*

I primò

primò à militibus laceratum acerbiſsimis conuitijs. Deinde ipſo mortuo velum templi ſciſſum, ſaxa rupiſſe, tenebras tres horas extitiſſe, ſepulchra aperta, ex quibus plurimi egreſsi, poſt reſurrectionem Dñi apparuerunt in ſancta ciuitate, &c. Quæ quidem oĩa huc quadrant optimè. Milites qui crucifixo inſultant & illudunt, falſi doctores ſunt & ipſorum diſcipuli. Hi enim Chriſtum in ſuis membris non tantũ occidunt, ſed multis contumelijs affectum occidunt, vt Matth. 22. de parricidis iſtis vinitoribus eſt cernere. Deinde quòd tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram, deſignat id temporis, quando iniquitas abundat & Chriſtus, id eſt, gloria Dei quaſi ſublata eſt, tum omnium hominũ corda craſsiſsimis obrui tenebris, & mentium oculos ita excæcari, vt ne vnus quidem ſit, qui faciat bonum, iuxta illud: Venit nox, quando nemo poteſt operari. Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi. Mortuo igitur Chriſto, tenebræ per totam terram factæ ſunt. Tertiò, quòd velum templi ſciſſum eſt, figurat per Chriſti mortem à facie Moyſi auferri velamen, vt nunc myſterium ſcripturæ & intellectus ſpiri-
tualis

tualis omnibus pateat. Per ipſum enim maxima ſapientia, obedientia, iuſtitia, dilectio, patientia, atque adeò omnes virtutes patefactæ ſunt, in quibus poſthac fructificantes verè glorificamus Deum, iuxta illud: In hoc glorificatus eſt Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli, &c. Quartò, & terra tum mota eſt, id eſt, abuſus & prophanatio omnium creaturarum, quæ ſuper terram ſunt, mortuo Chriſto inuaſit, de qua Paulus meminit, Roman. 8. Quintò, petræ ſciſſę ſunt, quo arbitror ſignificatum, quòd per mortem IESV CHRISTI tanta Dei cognitio introducta eſt, & patefacta, vt nullus adeò durus ſit corde, rerumq́ue rudis, quin exactè intelligat, ſe DEO omnipotenti obnoxium & inexcuſabilem forè, niſi reſipiſcat. Sextò, quòd multa corpora ſanctorum egreſſa ſunt è monumentis, &c. denotat iam nunc, antequam dies ille DOMINI magnus venerit, nonnullos, etſi quaſi in monumentis adhuc, recepturos vitam, & veram fidem profeſſuros.

Hæc obiter ex alijs Euangeliſtis inſerui, nunc reuertar ad Ioannem, qui vnam

ſaltem hiſtoriam, vt dixi, memorat, nempe quo modo ei porrectum ſit acetum, poſt cuius hauſtũ tradidit ſpiritum. Hęc hiſtoria videtur maximè noſtrũ ſeculum attingere, in quo nõ ἔξαπλα, vt olim, ſed infinita fermè Biblia prodeunt. Quiſque pro ſe vertit & peruertit, mutat & tranſmutat verbum Dei, quod à Chriſto comparatur veteri & nouo vino, Lucæ 5. & Matth. 9. Igitur qui ſacram ſcripturam malè transferendo corrumpit & cauponatur, ſicut reuerà à multis hoc tempore, præſertim à Luthero factum eſt, qui tota Biblia ad normam ſolius fidei direxit, is propinat Ieſu Chriſto acetum, id eſt, corruptum, ſeu vt alij habent, myrrhatum & abominabile vinum. Hactenus de doctoribus.

Idem crimen & vulgus auditorum incurrit, quando ſcilicet ipſam ſcripturam referunt ad ventrem, & eam carnali intellectu, quaſi conſtuprant, dum nihil niſi ſuæ impietatis, prætextum & velamẽtum malitiæ in ea quærunt. Non enim legunt aut verſantur in ſcriptura, vt diſcant ſeruire Deo, & reddantur iuſtiores (id enim putant, ſibi per ſolã fidem in Chriſti meritum, abſq; bonis operibus contingere) ſed

ſed tantùm, vt ad ſua peccata tegenda, & exornandam ſocordiam, habeant certa quædam loca malè detorta in promptu, quibus pios doctores opera bona exigentes refellant, ſuæq; carni ſuauiter adblandiantur. Ergo & hi myrrhatum vinum porrigunt Chriſto.

Extremum, quod in hac octauo parte nobis explicandum ſumpſimus, eſt verbum τετελείωται, id eſt, cõſummatũ eſt. Nam etſi clariſsimè ſeſe exponat Chriſtus, Ioan. 17. in illa ardentiſsima ad Patrem oratiõe, tamen non deſunt hoc peruerſo ſeculo, qui id, ſicut & totã ſcripturam ſiniſtrè interpretantur & monſtroſè detorquent ad ſenſum, non tam Eccleſiæ Dei ignotum, quàm etiam impium et pernitioſum. Ita enim hanc vocem Chriſti accipiunt, quaſi per eam ſignificaſſet, ſe in totum Deo patri, nõ ſolùm pro peccatis, verumetiam pro operibus bonis ſatis feciſſe, vt nunc omnia, quatenus ad Dei gloriam attinet, ſint completa, perfecta, & conſummata: tantùm nobis in peccato manentibus, per ſolam fidem, id eſt, fidutiam miſericordiæ imputanda. Quàm autem hoc abſurdum ſit & monſtroſum, ex plurimis ſcripturæ locis col- IIII. Locus.

ligi poteſt & euidētiſsimè probari, iſtud dogma eſſe crapulam Antichriſti fœdiſſimam. Nam ſi vniuerſa ſimpliciter iam tunc conſummata fuerunt per ipſius Chriſti mortem, cur quæſo, ipſemet alibi poſt ſuam reſurrectionem promittit ſe nobiſcum permanſurum, donec omnia in nobis conſummet? Ait enim: Ego ero vobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi: Num id quod ſemel conſummatum & perfectum eſt, poteſt denuò conſummari? Cur item Apoſtolus de ſe tum primùm dicit, ſe ſuum conſummaſſe curſum, quando iam erat immolandus, dieſque ſuæ reſolutionis inſtabat? Quorſum opus eſt eum contendere & eniti ad ea quæ à fronte ſint, iuxta præfixum ſignum ad brabium ſupernæ vocationis, ſi iam nunc ſuam aſſecutus eſt per mortem Chriſti externam conſummationem? Imò quid opus eſt Spiritu ſancto, qui nos in omnem ducat veritatem, qui nos in dies ſingulos renouet, tranſmutet, imagini Dei conformet, Chriſtoq; Ieſu incorporet, ſi modò conſummatio ſanctorum & ædificatio corporis Chriſti expleta eſt? Ergo hoc verbum de merito duntaxat, quod ad carnē attinet

attinet, intelligendũ & accipiendum eſt, ſicut Chriſtus ipſe diſertis verbis ſeſe declarat, Ioan. 17. Ego, inquiens, glorificaui te ſuper terram, opus conſummaui, quod dediſti mihi vt facerem: Manifeſtaui nomen tuum hominibus, &c. Nam quatenus ad reuelationem, vel maximæ iuſtitiæ, vel maximi peccati, aliarumque virtutum & vitiorum, omnia ſunt expleta & conſummata, nec iterum venturus eſt in humilitate Magiſter, & nouum docturus Euangelium. Semel mortuus eſt, non amplius morietur. Nunc ſupereſt vt curſum noſtrum ad hanc fidei conſummatorem & ducem dirigamus, eumque infracto animo & indefeſsi tantiſper ſequamur, quoad ipſi ad eius exemplum, tum in anima, tum in corpore, tum in ſpiritu conſummemur, iuxta illud Apoſtoli: Deus pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus, ſine querela in aduentum Domini noſtri IESV Chriſti ſeruetur, Amen.

NONAE PARTIS
Textus.

I. Locus. IVdæi ergo, quoniam paraſceue erat, vt non remanerent in cruce corpora ſabbato (erat enim magnus dies ille ſabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerētur eorum crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem, cùm veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura.

II. Sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua. Et qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius. Et ille ſcit, quia vera dicit, vt & vos credatis. Facta ſunt enim hæc, vt ſcriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia ſcriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

EXPLICATIO.

HAEc pars ferè tota eſt Ioannis propria, nec attingitur ab alijs Euangeliſtis, quòd ſciā, vel de fractione crurarum, vel de vulnere lateri à milite per lanceam inflicto. Dicemus igitur & de hiſce duobus locis pro dono noſtro. Primùm, de fractione crurum.

crurum. Deinde, de confoſsione lateris Ieſu Chriſti,

Quid autẽ ſibi ſecundum literam, velit, quòd Chriſto Ieſu non ſint crura fracta, indicat ipſe Euangeliſta, ſimulq́; ducit nos in ſpiritualem ipſius hiſtoriæ intellectum. Citat enim locum ex libro Exodi, de agno paſchali, cui à Deo interdictum fuit, os confringi: Quo, vt arbitror, denunciauit nobis Deus, vt licet eò perfidiæ ſub finem mundi (regnante ſola fide ſeu Antichriſto) ſimus delapſuri, quò etiã filium ipſius è terra viuentium tollamus, hoc eſt, ſapientiã & potentiam eius reputemus inter latrones, id eſt, inter maxima peccata. (Damnat eñ apertis verbis Lutherus omnia dona noſtra, inter quæ nominatim ponit ſapientiam & potentiam, id eſt, Chriſtũ) tamen tantum ſit abfuturum, vt quicquam de virtute verbi ſui amittat, irritúmue fiat, vt ne quidem os, id eſt, quicquam ex minimis ſuis donis poſsit confringi. Quia maior eſt pater omnibus, nec vllus quamlibet fortis & crudelis id, quod ſemel decreuit, à ſuis manibus rapiet, nec habent ſeſe in corpore noſtro aliter oſſa, quàm potentiæ ceu virtutes in anima. Nam ſi-

cut oſium præſidio firmatur caro & apta redditur ad obeunda munera ſibi impoſita : ita quoque anima inferioribus & ſuperioribus viribus, vt vocant, inſtructa ſuum complet officium, Deoque fidem, quam debet, perfectè præſtat. Vnde עֶצֶם à quo verbo apud Hæbreos deriuatur os ſignificat roborare, itē multiplicare. Quippe cùm per mortem Chriſti teſtamentum Dei non tam confirmatum ſit, quàm & multiplicatum, id eſt, multis cōmune factum. Quare etſi verbi audibilis, & ſcripturæ tanquam latronum crura ſint per ſolam fidem, falſamque tranſlationem confractæ, tamen verbum viſibile, id eſt, creaturæ & conſcientia cum ſuis donis illæſæ permanſerunt, nec potuit in ijs, præſertim in conſcientia, quicquā vel minutorum oſium corrumpi. Alióqui nos iuſtè accuſare nequiret in die iudicij, ſi vel tantillum de ſua natura & ſtatu eſſet deiecta.

II. Locus. Alter locus eſt de plaga, quam Dominus noſter in latus ſuum accepit à milite, vnde ſanguis & aqua emanauit: quę quidem duo, ſanguis dico & aqua, haud dubiè ſacramenta Baptiſmi & Euchariſtiæ repræſentant. Ex hiſce enim tanquam ex

mamil-

mamilla Ieſu Chriſti lac illud ἄδολον καὶ λογικὸν haurientes, verè efficimur fideles & filij Patris cœleſtis. Nam fides Chriſtiana in hiſce duobus conſiſtit, in carnis mortificatione, quæ fit per Baptiſmum, & in corporis Chriſti perceptione, ex qua in noua vita vſque ad finem noſtræ vocationis ſuſtentamur. Quare ſicut hiſce vltimis & peruerſis temporibus, poſteaquam Sola fides cruci ſuffixit & occidit CHRISTVM, hæc duo ſacramenta à malè feriatis hominibus turpificata ſunt & fœdè polluta, ita quoque in certiſsimam equidem ſpem adducor, breui forè, vt mortuus IESVS poſt triduum magna cum gloria & virtute reſurrecturus ſit, ipſique Chriſticidæ viſuri, quam temerè haſta perfidiæ transfixerunt.

Det eis Deus Pater ſpiritum compunctionis, vt tandem peccatis agnitis è laqueo Diaboli reſipiſcant, Amen.

DECIMAE PARTIS

Textus.

Poſt

I. POſt hæc autẽ rogauit Pilatum Ioſeph ab Arimathia, eò quòd eſſet diſcipulus Ieſu, occultus autem propter metum Iudæorum, vt tolleret corpus Ieſu. Et permiſit Pilatus. Venit ergo & tulit corpus Ieſu.

II. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primùm, ferẽs mixturam mirrhæ & aloes, quaſi centum libras. Acceperunt ergo corpus Ieſu, & ligauerunt eum linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.

III. Erat autem in loco, vbi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentũ nouum, in quo nondum quiſquã poſitus fuerat. Ibi ergo, propter paraſceuen Iudæorum, (quia iuxta erat monumentum) poſuerunt Ieſum.

EXPLICATIO.

I. HIc primò admonendi ſumus de ſepultura, cui hoc peruerſo ſeculo nullus prorſus eſt honor, quẽ tamen Deus in figura ſemper voluit ſacroſanctum, religioſum & inuiolabilem. Ex quo & gentibus inſeuit, vt ad cohoneſtãdas exequias conueniant, ſuiſque funeribus iuſta

ſta perſoluant. Nec deſunt exempla Patriarcharũ, Abrahami, Iſaaci, Iacobi. Quin & Ioſeph fratres iuramento perſtrinxit, vt oſſa ſua in terram ſanctam ſecum deferrent. Eſtq́; (vt reor) hæc ſepulturæ violatio ſignũ haud obſcurum, quod etiam contemptum dogma, dico Sola fides ſimilem habitura ſit exitum, id eſt, ab omnibus tanquam βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως abijcienda. Aut ſi quis fortè miſericordia tactus vellet eam, ſicut rex Iehu Iezabelem, quæ figura eſt Solius fidei, humare & in ſepulchro condere, tamen antequam ei, vtpote iuſtis mortuorum indignæ hoc beneficij exhibeatur, ipſa à canibus & beſtijs agri reperietur diſcerpta & abſumpta, ita vt homines prætereuntes dicturi ſint: Hæccíne eſt iſta Iezebel, Sola fides? Nam vt iſta crudelis omníſque humanitatis expers mulier, pio ac ſancto viro Naboth interfecto, eripuit ſuam hęreditariam vineam, ita & ſola fides, non modò vi ac dolo Eccleſiam inuaſit & oppreſsit, ſed oppreſſam etiam funditùs extirpauit, perdidit, ſuſtulit, vt vix locum, vbi ſteterit, amplius reperias.

Porrò ius ſepulturæ nobis egregiè informat pœnitentiam, quam eandem Sola

fides

ſides vnà cũ ipſa ſepultura abiecit. Quia ſicut mortuus qui non humo iniecta contegitur, peſsimè fœtet & execrabilis eſt in omnium oculis: ita & homo, qui per cognitionem peccatorum priori intellectui mortuus eſt, niſi poſt hac in terram, vt granum tritici ſeminetur, id eſt, contegat peccata, agatq́ue pœnitentiam, & coram Deo & hominibus odibilis atque abominandus eſt. Vt eñ non ſufficit grano, quod deſtinatũ & præparatum eſt ad ſeminandum, aut etiam vt ſibi moriatur, ſed oportet vt in ipſo Domini agro moriatur & humo condatur, alióqui nihil ei poteſt fructificare. Sic & homo vetus nõ tantùm cum Chriſto eſt mortificandus, ſed cum eodem etiam ſepeliendus & terræ tanquam ſemen reddendus. Alióqui mors illa ſpiritualis, id eſt, peccatorũ cognitio nihil proderit. Oportet oris confeſsionem, quæ eſt inſtar ſepulturæ accedere, ex qua ſequitur tandem fructus, qui eſt ceu operis ſatisfactio, & tertia pars ipſius pœnitentiæ. Sunt enim, vt ſcitis, tres partes eius ab Eccleſiæ conſtitutæ: Mors ſpiritualis eſt cordis contritio. Sepultura quaſi confeſsio ſeu præparatio ad fructum. Reſurrectio velut operis ſatisfactio.

ctio. Ex qua illud Apoſtoli eſt, Rom. 6. Conſepulti, inquientis, cum ipſo ſumus per Baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris, & nos in nouitate vitæ ambulemus. Item, Coloſ. 2. Conſepulti ei, inquit, eſtis in Baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit illũ à mortuis. Ne igitur hic ſpiritualis intellectus de pœnitentia amittatur, hæc funerum iuſta in Eccleſia Chriſti, piè & arctè, ſicut hactenus, tenenda ſunt & obſeruanda.

Secundus locus eſt de vnctione, quam nos veri Iudæi ſolemus ſpiritualiter adhibere mortuis humandis, ad exemplum Ioſephi & Nicodemi. Quid aũt hæc ſpiritualis vnctio ſit, declarat Apoſtolus, 1. Ioan. 2. Vnctio eius, inquiens, docebit vos de omnibus, id eſt, Spiritus ſanctus, qui ſi nos ſua gratia delibutos tumulo mandat, cum Chriſto verè reſurgentes, Deo tantiſper fructificabimus, dum ſuam quiſq; maturitatem conſequamur. Hanc eñ noſtram perfectioné arbitror ſignificatum per mixturã ex centum libris myrrhæ & aloes, quã attulit verus Nicodemus, id eſt, victor ſui populi ſeu ſuorũ affectuum ad corpus II. *Locus de unguendis mortuis.*

corpus Chriſti vngendum. Centenarius enim numerus perfectionẽ denotat, qua oportet nos pollere, tum in anima tum in corpore, ad fructum Deo offerendum. Anima per myrrham, id eſt, per ſcientiã ſeu ſapientiam cœleſtem, quæ nos facit æternos. (Myrrha enim reddit corpora imputribilia) corpus verò per aloes, id eſt, potentiam, qua mortificãtur effectus, & concupiſcentiæ vnctæ præparantur, & habiles fiunt, vt Deo reſurgant in gloriã.

Quòd denique in nouum ſepulchrum corpus Chriſti poſitum eſt, deſignat nos non debere ſecundum veterẽ hominem, vel peccatis mori, vel ſepeliri amplius, ſicut docent Philoſophi, vt ſcilicet ipſi hîc benè, beateque viuamus. (Talis enim iuſtitia æquè pro immunditia atque carnalia peccata habenda eſt) Alióqui iuſtitiã, quæ ex Deo eſt, nunquam conſequemur, iuxta illud: Sapientia carnis inimica eſt Deo. Item, Philip. 3. Quæ fuerunt mihi lucra, inquit Apoſtolus, arbitratus ſum propter Chriſtũ detrimentum, vt illum lucrifaciam non habens meam iuſtitiam, quæ eſt ex lege Moyſi aut naturæ, ſed illam, quæ ſe totum in gloriam Dei diffundit. Hæc gloria eſt nouũ monumentum,

in

in quo ſolius Chriſti corpus ſepelitur. Quia non accepimus iterum ſpiritum carnis, vt huic glorię mortali, ſed Dei glorię reſurgamus & incumbamus, quod donet nobis omnibus Deus pater per Filium in Spiritu ſancto, Amen.

EPILOGVS TOTIVS PASſionis Ieſu Chriſti.

NVnc velim ſinguli perpendant ſecum, an nō Ieſu Chriſti Domini noſtri paſſio ſit, quaſi ſpeculum quoddam & perpetua lex, vnde in ſuo quiſque officio diſcamus peccata noſtra agnoſcere, atq; agnita ceu peſtem fugere & deteſtari, ne vel vt Iudas, vel Annas, vel Caiaphas, vel Pilatus in æternum damnemur. Non eſt opus vt more puerorum fingamus & imaginemur nobis eiuſmodi perſonas, quales pinguntur in parietibus: Hęc carnalis cognitio aut imaginatio, nihil omnino prodeſt ad ſalutem, ſiquidem in hac reſiſtas. Omnia in figura contigerunt illis, & ſcripta ſunt propter noſtrā admonitionem, in quos fines ſeculorum deuenerunt. Litera ſcripturæ eſt illa quidem neceſſaria

& vtilis,ſicut hic panis corporalis,aut etiam hic ſol. Verùm vt in hoc pane aut hac ſolis luce non eſt nobis perſeuerandum, ſed inde ad verum panē & veri ſolis, qui eſt Ieſus Chriſtus,lucem paulatim aſcendendum: Ita quoq; hiſtoricus ſcripturæ ſenſus in doctrinam & teſtimonium veritatis nobis propoſitus eſt, per quem ad Ieſum Chriſtum ipſam veritatem atq; vitam noſtram veniamus,non in hoc vſque ad finem conſeneſcamus & perſiſtamus, quemadmodum euidenter docet Chriſtus,Ioan. 5.

Grauiſsimè igitur peccat vulgus Lutheranorum,qui negentChriſtum Ieſum veniſſe legiſlatorem, quū tamen tota ipſius vita & pręcipuè paſsio ſit illa Dei ęterna lex, ad quā oportet nos oēs, quicunq; aſpiramus ad ſalutem,curſum noſtrū dirigere, & diligentiſsimè oīm officiorum perpendere momēta,vt ſcilicet ſi poſthac tali modo ac ratione pro gloria Dei ſuſtineamus oīa,qua videmus illum cuncta ſuſtinuiſſe,eius vera mēbra ſimus. Sin aūt, quod abſit, in priori vita perrexerimus, nec à creaturis, vel in literis ſacris, vel in hac rerum natura ad doctrinam propoſitis,fuerimus ad Deum viuentem eiuſque glori-

gloriam conuerſi, tum certò ſciamus, vel vt Iudas, vel vt Caiaphas, vel vt Pilatus, &c. Dominum noſtrum afficere.

Si igitur vis paſsionem Domini legitimè & ſalubriter conſiderare, reputa primò, quòd iſtæ perſonæ oẽs ſint in tuo ipſius corde: vt ſi auaritiæ ſtimulus te pungit, mox ſubeat animũ, te eſſe Iudam, qui pecuniam ei, qui tibi eam dedit, prȩferas. I.

Si te φιλαυτία titillat, continuò in mentẽ veniat tibi Annæ, in cuius palatio Chriſtus petitur alapa, quam tu iſto amore tui ſpiritualiter ei impingis. II.

Si porrò inanis gloria te rapit tranſuerſum, memineris Caiaphȩ, apud quem Petrus denegauit Dominum, & falſi teſtes aduerſus Chriſtum conducti ſunt. III.

Si aũt quippiam contra conſcientiam ſpiritu Dei illuminatam ſuſcipias, vt vel contra Deũ vel proximũ, verbis, factíſue feraris, certò ſcias te Pilati ſuſtinere perſonã, cuius iuſſu Chriſtus, & flagellatus, & ſpinis coronatus, cruceq; affectus eſt. Eiuſmodi eñ plagas, tute ipſe ſpiritualiter ꝓ facti qualitate tuo agnato Dño imponis. Deſiſte igi͠t à malo, ne fortè ſi Cæſarem externũ, magis quàm æternũ extimeſcas, in te, vt laqueus, dies Dñi horrendus ſuperueniat. IIII.

Si pręterea adhęreſcis ſoli abſque vniuerſis operibus bonis (dico præcedentibus & ſequentibus) fidei, Chriſtum Ieſum agis in crucem. Vt enim is qui eſt manibus & pedib⁹ cruci ſuffixus, nihil operatur, nec terram, nec cœlum attingit, ſed medius pendet inter vtrunq; : ita tu Sola fide afficis Ieſum Chriſtũ & ipſius membra, qui nec veteris nec noui Teſtamenti opera in cenſum iuſtificationis admittas. Opera enim præcedentia ſunt vetus, ſequentia autem nouũ Teſtamentum: quæ quidem ambo neceſſaria ſunt ad fidem, iuxta illud: Omnis Scriba doctus profert de theſauro noua & vetera. Præcedentia enim tanquam pædagogium, Sequentia tanquam perfectio & abſolutio fidei requiruntur. Imò ipſa fides ſunt, qua iuſtificamur. Quid enim ſunt opera ex voluntate Domini facta, niſi fides & iuſtitia coram ipſo Domino?

VI. Si deniq; laceras & diſcindis veſtimenta, quæ Deus homini præ alijs animantibus in admonitionẽ virtutum impoſuit, aut ſi abuteris cibo & potu, alijſque Dei creaturis, vel ad luxuriam, vel ad ſuperbiam, vel alium quempiam illegitimum finem, tum certiſsimè tibi perſuadeas,

quòd

quòd ſis ex grege iſtorum militum, qui inter ſe partiuntur Domini noſtri veſtimenta.

Sed vt hæc impijs terrori ſunt, & ad peccatorum adducunt agnitonem, ita & pijs & fidelib⁹ maximo ſolatio ſunt, præſertim illud, ꝙ ipſe Chriſtus cruci etiam ſuffixus, nos aſtantes cruci, oculis ſuę miſericordiæ videt, ſuoque dilecto diſcipulo, id eſt, gratiæ Dei patris commendat, qua freti nihil timemus nobis, vel à gladio, vel ab igne, vel ab aqua, vel ab vllo quamuis crudeli ſupplicio. Nouit enim Deus ſuos eripere ex tentationibus, ne à Diaboli faucibus abſorbeantur. Si placet & eſt ipſius nomini glorioſum, vt à tetris tyrannis rapiamur ad mortem ignominioſam, ecce parati ſumus: Sin minus, rogamus atque adeò precibus obſecramus Deum, impertiat nobis de ſuo Spiritu, vt πανοπλία cœleſti inſtructi, etiam omnibus peractis adhuc ſubſiſtamus, Amen. VII.

At ſi ſcripturam deprauas & ad tuam detorques vtilitatem, propinas Ieſu Chriſto acetum & myrrhatum vinum: Item, ſi maledicis alicui per vulnera, paſsioné, morté Chriſti, &c. vnus es ex militibus, qui crucifixum rident, & vt de cruce de- VIII.

 ſcendat,

ſcendat,amarulẽtiſsimè imperitãt. Equidem nihil prorſus addubito, quin iſtam nominis Dei prophanatio & mõſtroſa veſtium deformitas, ſub regno ſolius fidei nata,ſit ſpiritualis Ieſu Chriſti crucifixio, vtpote quæ proximè atq; illi milites, aut etiam æquè Dei omnipotentis violet maieſtatem. Reſipiſcamus igitur & pręparemus nos in Domini noſtri glorioſum aduentũ. Non fruſtrà hæc nobis offert Deus, nec per ſuos ſeruos tanta ſeueritatę pœnitentiam inculcat. Certè ſi hoc acceptum tempus,diemq́; ſalutis noſtræ temerè neglexerimus, deterius quã vel Sodoma, vel Gomorrha, teſte Domino, habituri ſumus. Deus non ſinit ſe irrideri. Horrendum eſt in ipſius manus incidere. Si iuſtus vix efficitur ſaluus, impius & peccator vbi comparebunt?

Hac ratione paſsio Domini noſtri Ieſu Chriſti audienda eſt, imò cogitatione & anima complectenda, vt hinc ceu ex tabula diſcas, quódnam maximum ſit peccatum,& quæ item iuſtitia maxima,quorum illud ceu infernum fugias & exhorreſcas, hanc verò tanquã vitam æternam amplexeris,in ea creſcas,fructifices,& ad finem vſq; perſeueres,Amen.

DE

DE RESVRRECTIONE IESV CHRISTI SPIRITVALI, QVAM SCRIPTURA vocat primam.

HVcuſque pro dono noſtro ſimplicisſimè enarrauimus Domini noſtri Ieſu Chriſti pasſionē, quā ideo in decem capita partiti ſumus, vt ea ſit nobis lex æterna, & quaſi ſpiritualis decalogus, ex quo non tantùm verbis erudimur Dei voluntatem, ſed eandem etiam oculis videmus & manibus contingimus, ſicut eleganter docet diſcipulus ille dilectus: Quod, inquiens, fuit ab initio, quod audiuimus, quod videmus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annunciam' vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit vobis, &c. Nunc ſupereſt, vt & de reſurrectiōe Ieſu Chriſti ſimiliter explicemus, vtpote quæ finis ſit & perfectio, ſeu vt Apoſtoli verbis vtar, ſpiritus viuificans ipſius pasſionis.

In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, &

nos omnes mori debemus peccatis, vt in gloriam DEI reſurgamus, iuxta illud: Nónne oportebat hæc Filium hominis pati,& intrare in ſuã gloriam? Item,Romanis 6. Conſepulti ſumus cum Chriſto per Baptiſmum in mortem,vt quomodo Chriſtus reſurrexit à mortuis, propter gloriam Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Nam ſicut ſemen, cuiuſmodi nos omnes ſumus,non ideo ſpargitur, nec mandatur terræ, vt ibi duntaxat moriatur & intereat. (Quid em̃ tum prodeſſet Patrifamiliâs?) ita & nos oẽs conditi,& ſemen à Deo electi, atq; adeò cum Chriſto nunc mortui ſumus ignorantiæ peccatis, vt cum eodem excitati poſthac in Spiritu ſanctificationis Deo fructum, eúmque copioſum proferamus, Ioan. 12. Amen, Amen, inquit Chriſtus, dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram, mortuũ fuerit,ipſum ſolum manet: Si aũt mortuum fuerit, multum fructum affert. Item cap.15. In hoc glorificatus eſt Pater meus,vt fructum plurimum afferatis. Quo enim ſemen melius eſt, & pretio maiori comparatum,eo & fructuoſiùs ſit, & ſuo Domino vtilius, quemadmodum nos certè ſumus creatura Dei,longè præſtantiſ-

ſtantiſsima, & maximo pretio, nempe Ieſu Chriſti ſanguine comparati atque redempti.

Sicut igitur omnia membra, quæ in & cum Chriſto Ieſu mortua atque ſepulta ſunt, cum eodem & reſurrexerunt, nec vllum ex vniuerſis derelictum eſt in ſepulchro: ita & nos, qui cum ipſo per ſcientiam Dei carnali ignorantiæ mortui ſumus, oportet nunc Spiritu ſanctificationis reſurgere. Alióqui eius membra non ſumus, & fruſtrà gloriamur de ipſius reſurrectionis fide, iuxta illud: Si complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus. Item 2. Timoth. 2. Si cómortui ſumus, & conuiuemus. Aut quî poſſunt illa membra tecum eſſe mortua aut cecidiſſe, quæ non ſimul tecum & in te reſurrexerunt? Duo ergo requiruntur ad verè fidelem Chriſtianum; Prius, vt cum Chriſto peccatis moriatur. Poſterius, vt cum eodem excitatus, in nouitate vitæ poſthac ambulet. Alióqui nunquá profectò Chriſti membrum cenſebitur.

Atque vt melius, quæ dico, intelligatis, rem exemplo vno atq; altero demonſtrabimus. Scitis nos in ſcriptura paſsim

vocari ſeruos Dei: idque non tantùm ex conditione, quòd à Deo ad hoc conditi & hucuſque ſuſtentati ſumus, ſed etiam ex iure ipſius redéptionis. Quia Ieſus Chriſtus nos apoſtatas non auro nec argento, ſed ſuo ipſius ſanguine à morte æterna redemit, ad ſibi ſeruiendum cunctis diebus vitæ noſtræ, in iuſtitia & ſanctitate. Iam verò ſicut ſeruum eo ipſo die, quo in tuam familiam cooptatur, & abs te conducitur, oportet ſibi, ſuæque voluntati quaſi emori, id eſt, prorſus nihil operum amplius præſtare: Alióqui ipſo facto incurret perfidiam, licet vel parentibus, vel vxori ſuæ benefecerit, rebus interea tuis neglectis: Similiter & nos nunc omnino oportet nobis, noſtræq; carni moriamur ſpiritualiter, ipſique Deo ſoli adhæreſcamus, iuxta illud: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuũ, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores: adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Verùm quanquam hoc permagnum quidem & graue eſt, vt ſeruus ita abeat in alienam familiam, ſuæque voluntatis prorſus obliuiſcatur, & ſeipſum quaſi ignoret amplius, tamen totum non eſt, quod reddit eum coram

ſuo

ſuo Domino fidelem & iuſtum: Nemo enim ex omnibus ſeruum conducit, vt is voluntatem Domini tantùm ſciat, aut etiam vt nihil peccet, ſibíue & ſuis operibus mortuus ſit, ſed vt poſthac cognitam voluntatem Domini pro virili in miniſterio commiſſo perficiat, haud ſecus ac ſi membrum ipſius Domini exiſteret. Nam ſicut is omnia membra per voluntatem regit ad ſuam gloriam & commodum: ita & ſi eadem voluntas te ſuum ſeruum regit ad eundem finem, es fidelis & ſpiritu ipſius Dominũ præditus. Hinc Apoſtolus ait: Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius, videlicet membrum, aut ſeruus fidelis. Membra enim ſunt, quaſi ſerua ipſius capitis. Et ibidem paulò poſt: Quicunque, inquit, ſpiritu Dei aguntur, ſunt filij Dei, id eſt, quicunque perfectiſsima & maxima, planeque diuina, & Spiritu ſancto digna opera faciunt, hi ſunt ob eiuſmodi obedientiam filij Dei, & Chriſti cohæredes. Id enim eſt τῷ πνεύματι ἄγεσθαι & verè in Chriſtum credere.

Sed noſtri Monopiſti imaginantur ſe in peccatis manentes, abſque vllis bonis operibus eſſe iuſtificatos coram Deo patre:

tre: quod quidem certè nihil aliud eſt, quàm & paſsionem & reſurrectioné Ieſu Chriſti denegare. Nam qui adhuc in peccatis viuit, huic Chriſtus nondum mortuus eſt, iuxta illud: Scitis quòd vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, vt vltrà non ſeruiamus peccato. Qui autem nihil boni agit aut Deo fructificat, huic & nondum reſurrexit Chriſtus, iuxta illud: Si mortui ſumus cum Chriſto, credimus, quia ſimul etiam viuemus cum illo, nimirum in ſumma obedientia. Porrò qui ſpiritualiter, id eſt, factis negat Ieſum Chriſtum, vel paſſum, vel reſurrexiſſe, is reuerà eundem negat in carne vnquam veniſſe, & ob hoc eſt Antichriſtus. 1. Ioan. 4. Omnis ſpiritus qui non confitetur (videlicet tum verbis tum factis) Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo non eſt, ſed eſt Antichriſtus. Non enim ſimpliciter negant, ſed ore confitentur ſe noſſe Chriſtum, factis autem negant, ob quod abominabiles ſunt, & ad omne opus bonum reprobi. Sic & Paulus, 1. Cor. 15. Quòd ſi, inquit, Chriſtus non reſurrexit, videlicet in ſe & in nobis, tanquam ſuis membris, vt nunc in eius ſapientia, iuſtitia, patientia,

patientia, charitate, &c. viuamus, inanis & ſuperuacanea eſt fides noſtra, id eſt, omnia quæ vel cogitamus, vel loquimur, vel facimus, vt ſunt carnalia & extra Dei gloriam, ita ſunt execranda, nec ei vnquam placebunt, iuxta illud: Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt. Item, Ioan. 15. Qui manet in me, & ego in illo, hic fert fructũ multum: Quia ſine me nihil poteſtis facere. Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet & colligent eum, & in ignem mittent & ardebit.

Ad huius reſurrectionis fidem, quam Lutherani in omnib' ſuis ſcriptis & concionibus, ne vno quidem verbo vel leuiter attingunt, imò ſi quando commodè poſſunt, de eius laude haud parum multum delibant, ardentiſsimè nos cohortatur & ſcriptura ſacra & omnes creaturæ, præſertim hoc vernũ & acceptabile tempus, in quo Ieſus Chriſtus corporaliter reſurrexit.

Sed primò adducemus loca Scripturę, I.
Ioan. 11. Ego ſum reſurrectio & vita, id *Teſtis ſpi*
eſt, ego facio vos reſurgerę mea ſapientia *ritualis re*
& potentia, per quas veſtrę ignorantiæ & *ſurrectio-*
peccato mortui Deo viuetis. Item, Pau- *nis, eſt*
lus Rom. 6. Quòd Chriſtus mortuus eſt, *Scriptura*
pecca-

peccato mortuus eſt: Quòd autem viuit, viuit Deo: Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem peccato, viuentes autē Deo in Chriſto Ieſu. Et cap. 7. Fratres mei, vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti, vt ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificetis Deo. Et cap. 8. Si Chriſtus in nobis eſt, corpus quidē mortuū eſt propter peccatum. Spiritus verò viuit propter iuſtificationem. Quod ſi ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtū à mortuis, viuificabit, & mortalia corpora veſtra ꝓpter inhabitantē Spiritum eius in nobis. Item, 2. Cor. 5. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit. Sic 1. Petri 4. Chriſto igitur paſſo ꝓ nobis in carne, & vos eadem cogitatione armemini, quia qui paſſus eſt in carne, deſijt à peccatis, vt non iam deſiderijs hominum, ſed voluntate Dei quod reliquum eſt in carne, viuat temporis, &c. Hæc teſtimonia ideo totidem verbis huc tranſtuli, vt non modò diſceremus, quid ſit mori & reſurgere cum Chriſto, ſed etiam quare eiuſmodi phraſi vſi ſint Apoſtoli, nempe ob ſummam operum noſtrorum perfectionem.

Nam

Nam ſicut in mortuo nihil prorſus eſt, quòd vel ex parte aliqua ſeſe moueat, aut iuuet amplius, ſed totus eſt ſibi omnia destitutus & derelictus: ita & nos nunc veluti nobis mortui, nihil poſthac vel ſentiamus, vel intelligamus, vel meminerimus de priori vita & conuerſatione, ſed toti & ſimpliciter ſcientiæ Dei, quaſi inſiti & incorporati ſimus. Alióqui ſi nobis adhuc vel tantillum ſapiamus, verè mortui certè nondum ſumus, ſicut nec verè excitati cum eodem, niſi vniuerſa noſtra membra in gloriam Dei tranſferamus.

Sed nunc venio ad creaturas & ad hoc tempus, in quo Chriſtus Ieſus reſurrexit, quod & mirificè fidem noſtram confirmat: Si omnes capilli ſunt numerati, id eſt, habent vſum apud Deum, nec cadit paſſerculus in terram abſque voluntate Patris: Et tu putas Deum ſolum ſapientem ignoraſſe tempus, in quo Filium ſuum pro humano genere mori pateretur? Tam propè adeſt vt manibus palpetur, vt in eo viuamus, moueamur & ſimus. Si igitur nunc temporis facis ſementem, aut plantas aliquid, cogita & te eſſe eiuſmodi ſemen ac plantationem ad II. *Teſtis eſt creatura.*

Domi-

Dominum glorificandũ, vt qui nunc tibi per Chriſtum mortuus Deo fructifices. Et quando tibi dolet, teque cruciatu conficit, quum ſemen perit, & tu omnem perdis operam, reputa idem abs te fieri in verum patremfamiliâs, cui hac perfidia tu conſimilem dolorem inuris. Item, ſi videas arborẽ vbertim protrudere gemmas, ſi terram non tam viriditate herbarum ridere, quam etiam optimos quoſq; fœtus ædere, ex quibus te paſcis atq; voluptate afficeris, memento & te eiuſmodi hortum Dei eſſe, qui arboribus vitæ, id eſt, ſapientia, iuſtitia, dilectione, patientia, conſitus es, vt nunc calore veri ſolis Ieſu Chriſti excitatus, vberrimos flores emittas, eoſque ſuo tempore ceu ad decurſum aquarum, plantatus vſque ad maturitatem producas, ex quibus Dei gloriam illuſtres & eum oblectes. Quæ em̃ arbor hoc paſchatis tempore non germinat, nec indicia habet, & quaſi notas fructuum oſtendit, ea ſterilis eſt & vicina extirpationi, iuxta illud: Omnis arbor quę non facit fructum, excidetur. Imò ſæpè accidit, vt quæ abundat floribus & germine propter varias calamitates, vix parum producat ad maturitatem. Eodem

modo

modo & nos licèt omnem operam & curam impendamus, vt iuſtè, piè, ſobriè, viuamus in hoc ſeculo nequam, tamen tot nobis aduerſabuntur incommoda, vt vix centeſimum quodque opus conſequatur ſuam perfectionē. Vnde ex iiſdem creaturis non modò diſcimus & quaſi ex libro legimus, quid nos deceat, verùm etiam ad orationem, diligentiam & ſobrietatem permouemur & inflammamur, iuxta illud: Tu fide conſtitiſti, noli altum ſapere, ſed time. Nam ſi Deus naturalibus ramis non pepercit, vide ne qua fiat vt nec tibi parcat. Hactenus de creaturis, quæ ſanè pleno ore ſonāt & enarrant Dei gloriam, fidemq́ue huius ſpiritualis reſurrectionis luculentiſsimè profitentur. Vtinam nos ipſarum veſtigia perſequeremur, nihil eqidem dubito, quin breui eſſemus ad priſtinam vnitatem peruenturi.

Idem eſt & in cęremonijs atque ritibus Eccleſiæ cernere. Nam hoc Feſtum iuxta ſcripturam, vocatur Paſcha, quod nomen Hebręis ſignificat tranſitū. Quia iam ex peccato in iuſtitiam, ex carne in ſpiritum, ex morte in vitam, denique ex Aegypto, in terram ſanctam tranſeamus. IIII. *Teſtis traditio Eccleſiæ.*

Cauſam huius in figura legimus, Exodi 12. cap. cùm Deus omne primogenitum, id eſt, omnes carnales virtutes & affectus occideret, trãſiuit angelus eos, qui poſtes duos & ſuperliminare tinxerant agni ſanguine, id eſt, ſpiritu ſanctificationis. Nam qui poſtes .i. animã & corpus, & ſuperliminare .i. ſpiritum ſuũ per ſapientiam & iuſtitiam quę ſunt Chriſtus, tingit ſeu integra conſeruat vſq; ad Dñi aduentũ, is nõ interficieť à percuſſore. Primò igitur nomen huius feſti te tui officij admonet. Deinde ipſe dies, in quẽ eſt tranſlatum. Nam hoc Feſtũ nullo alio die celebratur quã in dominicis, etſi hac de re olim acriter decertatum fuit, tandem tamen leo de tribu Iudæ vicit, legemque ſcriptam iuxta literam aboleuit: Qua quidem traditione admodum eleganter informatur, quomodo priori vitæ mortui ipſi nunc efficiamur noua creatura.

Scitis enim hebdomadam confici ex ſeptem diebus, qui curſum huius mundi deſignant. Deus enĩ in ſeptimo conſummauit cœlum & terram, vt conſtat ex Geneſ. cap. 2. Ergo diuinitùs inſtituit Eccleſia, vt noſtrũ paſcha ſit extra hanc hebdomadam, id eſt, extra mundum & hanc

vitam

vitam carnalem. Quia conuerſatio Chriſtianorum eſt in cœlis, nec habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram expectamus.

Eodem pertinet & ciborum conſecratio, quæ hoc die ſeruatur in Eccleſia. Solemus enim loco Azymorum cibum benedictum, vt vocant, ſummere. Sed quid eſt conſecrare aut benedicere? Nonne in gloriam Dei conuertere, atq; illud ipſum, quod habes hoſtiam Deo ſiſtere. Ita certè Apoſtolus, Roman. 12. & 1. Timoth. 4. loquitur de cibo, quem cum gratiarum actione ſumamus, id eſt, in gloriam Dei transferamus. Item, 1. Corinth. 10. Siue igitur editis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Igitur hac cæremonia longiſsimè ſeparauit nos ſuos filios mater Eccleſia à priori conuerſatione, ac pane, quo hucuſque vſi ſumus. Quia hactenus edimus panem naturalem, nec viximus in gloriam Dei. Nunc verò fruamur conſecratis, id eſt, in laudem Dei omnia cogitemus, loquamur, faciamus. Et hæc ipſa vita eſt noſtrum paſcha, ſicut ſatis euidenter Epiſtola hodierna edocet. Ibi enim iubemur fermentum vetuſtatis .i. panem hunc terrenum

expurgare, vt ſimus noua conſperſio, in veritate & ſinceritate vitam degentes. Quamobrem hæc nihili cęremonia inſignem continet doctrinam, atq; pulcherrimè inſtruit te, quónam pacto poſthac vtaris iſtis bonis terrenis, nempe veluti conſecratis, id eſt, Deo vtilibus, non tibi aut huic mortalitati.

IIII. *Teſtis à rebus externis.* Hactenus de teſtimonijs ſcripturæ, creaturarum & traditionum Eccleſiaſticarum, nunc ſubiungemus etiam politica & domeſtica exempla, vt ſi fortè, quæ eſt tua ſtupiditas, ex illis vniuerſis nihil profeceris, ſaltem domi tuæ perſpicias & diſcas, quomodo in ſpiritu cum Chriſto Ieſu tibi ſit tandem reſurgendum. Nam eſt mihi quidem perſuaſiſsimum, neminem eſſe adeò tenuem fortuna inter nos omnes, quin curarit & ſategerit, vt hodie aliquanto ſe mundo elegantiori exornet, aut quippiam noui induat, quo hoc ſummum Feſtum pro ſua virili cohoneſtet. Hunc affectum Deus animis noſtris ita impreſsit & inſeuit, vt licet id cum noſtro interdum faciamus detrimento, tamen ſtrenuam nauamus operam, vt hoc ipſum conſequamur. Ea propter non Moyſes tantùm, ſed etiam hoc ipſum inſtitu-

ſtitu-

ſtitutum accuſabit te in Dei iudicio, qui in rebus quidem carnalibus & externis tantum ſapueris: in negotijs autem diuinis & ſalute animarum fueris ipſo Margite ſtultior, & Leberide cæcior. Si noſti depoſitis veſtibus ſordidis & pannoſis, nouam pompæque aptam tibi nunc induere, cur non eodem modo curas, vt depoſito & abiecto veteri homine, veſtē nuptialem induas, nouuſque cum Chriſto nouo reſurgas, & fructum Deo, imò & tibi ad alteram vitam proferas? Adeò prope nobis adeſt Deus, vt nihil omnino vel domi, vel foris, vel in templo, vel in curia agatur, quod non vel mortificationem carnis vel ſpiritus viuificationē nobis quaſi in tabula ob oculos ponat, & Deum repræſentet. Verùm nos haud ſecùs verſamur in hiſce rebus quàm equi & muli, quibus nullus eſt intellectus. Imaginamur, nihil prorſus veritatē docere, aut Dei patris voluntatem, quàm ſcripturam, & quidem in ſenſu hiſtorico abſq; ſpirituali, de quo iamdiu egimus. Hinc fit, vt congeramus in vitam præſentem omnia, & ventri fructificemus, immemores prorſus æternitatis aut theſauri in cœlis colligendi. Quotusquiſque noſtrûm

vel leuem rerum cœleſtium habet cogitatiunculam , quum tamen hiſce oculis cernamus & manibus palpemus, nihil hic eſſe ſtabile aut perpetuum.Sed omnia,ſicut dixi, in figuram & pædagogiam conceſſa eſſe, vt inde Dei patris voluntatem diſcamus, non in iſtis totius vitæ noſtræ curriculum ponamus & elaboremus,Deus pater per Ieſum Chriſtum in ſpiritu ſancto impleat nos agnitione voluntatis ſuæ in omni ſapientia & intellectu ſpirituali, vt ipſo digne ambulemus, vt per omnia ei placeamus, in omni bono opere fructificantes & creſcentes in ſcientia ipſius,in omni virtute confortati,iuxta patientiam gloriæ eius in omni patientia & longanimitate,Amen.

DE ALTERA RESVRREctione, quam vulgò appellamus vniuerſalem.

PErmulti id temporis pernitioſè impingunt,dum hanc generalem & ſecundã reſurrectionem, quę eſt omnium hominũ bonorum æquè, ac malorum communis,

nihil diſtinguant à ſpirituali ſolius Chriſti, ipſiuſq; membrorum propria. In nouiſsimo em̃ die oẽs ad extremam tubam excitabimur, vt de ſuis quiſq; operibus iudicemur, & accipiamus vel vitam, vel mortẽ æternam, iuxta illud: Omnes manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnusquiſque propriæ corporis, prout geſsit ſiue bonum ſiue malum. De hac reſurrectione & in veteri & in nouo Teſtamẽto plurima teſtimonia extant, vt Iob 19. Ezech. 27. vbi non tantũ verbis, ſed pulchra etiam viſione docemur hunc fidei Articulum. In nouo Teſtamento, Matth. 16. & 28. Item, 1. Cor. 15. Et Ioan. 5. & 11. alijſq; compluribus locis, qui ſe legenti oſtendent & occurrent. Hæc igitur reſurrectio licet ſecundum hiſtoriam firmiſsimè credatur abſque illa ſpirituali, de qua ſupra explicui, tamen eius fides te minimè coram Deo iuſtificatura eſt: Quandoquidẽ & Iudęi & Turcę eandem forè, nequicquã confitenť. Nec etiã eſt reuelata, vt vel ex ipſius notitia vel fiducia habeamus ſalutem, quæ in ſolo Ieſu Chriſto & Spiritu ſanctificationis cõſiſtit: Sed vt verã fidem, per quã excitati cũ Chriſto viuimus, in noſtro miniſterio

& afflictionibus paſcamus atq; ipſius ſpe nos ſuſtentemus. Niſi enim hãc ſpem haberemus in Deo repoſitam & fixam, forè aliquando tempus, vt ex hoc ſeruitutis iugo & ex hiſce grauibus ærumnis liberati, coronam iuſtitię eſſemus tandem reportaturi: quis, obſecro, vſque ad finem ſuæ vocationis in fide perduraret?

Maximè autem erigit & cõſolatur nos Domini noſtri Ieſu Chriſti reſurrectio corporalis, in qua ante mille & quingentos annos excitatus ob hoc potiſsimùm ſuis apparuit, & manibus cõtrectatus eſt, vt nos ad ipſam ſpiritualem, cuius hæc glorioſa reſurrectio finis eſt, eiuſmodi ſpe adduceret. Oportuit enim nobis infirmis illum primogenitum ex mortuis ita oſtenſum & exhibitum, ne fortè aſtutijs Diaboli victi in ſtadio fidei deficeremus. Hinc non pauciora, atque haud ſcio, an etiam plura de hac ipſius corporali reſurrectione teſtimonia in ſcriptura ſacra extant, quàm de ipſa ſpirituali. Vnde & occaſio errandi nonnullis data eſt, quaſi ea ſola eſſet noſtra ſalus & iuſtitia. Nos verò arctè teneamus contra Monopiſtas, atque adeò omnes inferorum portas, quòd fides huius corporalis reſur

rectio-

rectionis Chriſti neminem abſque priori iuſtificet. Quid alióqui impediret, quo minus Diabolus & cuſtodes ſepulchri, qui certè reſurgentem conſpexerũt, omnes iuſtificarentur?

Imò verò hoc amplius dicam, etſi credas, id eſt, certò ſcias ſecundum hiſtoriam, & confidas etiam Chriſtum pro tuis peccatis mortuum, & in tui iuſtificationem exuſcitatum eſſe: tamẽ niſi tibi quoque in membris tuis reſurrexerit, id eſt, niſi tu peccato per Baptiſmum & Chriſti illuminationem mortuus, poſthac in nouitate vitæ ambules, nihil proderit iſta fiducia, licet inconcuſſa (vt aiunt) ſit & firmiſsima. Quin potius multum oberit & cauſa exiſtet tibi maioris damnationis, iuxta illud: Seruus qui cognouit Domini ſui voluntatem, & non præparauit ſe, nec fecit ſecundũ voluntatẽ eius, plagis vapulabit multis. Et Mat. 11. Chriſtus ait: Sodomam & Gomorrham tolerabilius habituras in die iudicij, quàm vel Corazin vel Capernaum, quia quod audiuerunt, non crediderint, id eſt, non ſecundum verba audita vitam ſuam inſtituerint. Proinde admodum fideliter monet nos Apoſtolus, 2. Corinth. 5. vt ſi quis

antehac cognouit Chriſtum ſecundũ carnem, non amplius eum tali modo cognoſcat. Vetera enim præterierunt. Ecce noua facta ſunt omnia. Item, Galat. 5. & 6. In Chriſto Ieſu, inquit, nihil valet, niſi noua creatura, quam facit fides per dilectionem operans, non iſta turgida miſericordiæ fiducia, quæ in nuda cognitione ſita eſt & continetur. Ecquis, obſecro te, diceret illam arborem, quæ nunc facta, æſtate non floreat nec germinet, eſſe viuam aut Domino ſuo acceptam? Certe nemo. Cur igitur tu de gratia Dei, & de fide reſurrectionis gloriaris, cum adhuc Chriſto Ieſu mortuus, tibi tuoque ventri viuas, nec veri ſolis, id eſt, Spiritus ſancti vim & virtutem in te vlla ex parte ſentias? An putas veterem hominem & animalem poſſe ita ſpiritu mundano excitari, vt ad plenum ſui Domini voluntatem exequatur: Spiritualem autem qui verbo Dei cum Ieſu Chriſto ipſiſsima vita reſurrexit, mortuum eſſe, Deoque patri nihil fructificare? Erras profectò, erras, & temetipſum decipis. Quare fides illius reſurrectionis Chriſti, quæ facta eſt ſecundum carnẽ ante mille & quingentos annos, minimè efficit te Chriſtiauum, ſed

tantùm

tantùm animos noſtros excitat, & induce it in ſpem exploratam & verisſimam, etiam nos olim corporaliter, ſicut ipſum vidimus, in gloria reſurrecturos eſſe, ſi modò eius exemplum, vt præcepit, fuerimus imitati. Certus enim ſermo: Si ſumus commortui, conuiuemus, ſi ſuſtinemus, & conregnabimus: ad quod quidem regnum perducat nos Pater per Filium in Spiritu ſancto, Amen.

FINIS.

NE HAE PAGELLAE VACARENT, VISVM FVIT pios hoſce M. Antonii Flaminii hymnos ſubiicere.

Hymnus primus in Chriſtum.

IEſum pudicæ virgines,
Ieſum iuuẽtus integra,
Ieſum viri, ſenes, anus
Cantemus: in cuius fide
Lætamur eſſe, patrio
Qui nos amore diligit,
Fouetq́; Summi numinis
Aeterne fili, ſiderum,
Terræ, mariſq́; conditor,
Nil vaſta cœli immẽſitas,
Nil magnus orbis cõtinet,
Non dextera factum tua.
Tu patris in ſinu ſedens,
Alis, gubernas omnia.
Tu charitate maxima
Noſtræ miſertus miſeriæ,
Mortale corpus induis:
Diræq́; ſuffixus cruci,
Nos morte vindicas tua
A ſempiternis ignibus.

Tu

Digitized by Google

Tu morte victa, regiam
Reuerſus ad tuam, ſimul
Tui colentes aurea
In parte cœli collocas.
Te cœtus omnis cœlitum
Noctes dieſq; concinit:
Te ſempiternus Spiritus,
Salutis authorem vnicum
Teſtatur eſſe. tu quies,
Lumen, voluptas mentiū:
Tu paſtor, agnus omnia
Peccata tollens, pontifex
Aeternus, iram maximi
Sedare præſens, numinis.
Clemens, ſuauis, optime
Ieſu, tuorum proſpera
Curſum benign', vt ſoles,
Piaſq; laudes ſuſcipe,
Quas ore puro fundimus.

Hymnus alter de dulci & ſalutari vulnerum & tormentorum Chriſti aſsidua meditatione.

Ieſu

IEſu tuorum vulnerum
Cruore ſancto paſcere
Me quæſo nunquam deſinas.
Me ſanguis iſte roborat,
Dulciq; replet gaudio.
Hoc eſt amoris poculum
Cœleſtis, omnes ſordidos
Pellens amores. ebria
Hac potione mens, ſui
Et omnium ſit immemor,
Quęcunq; mundus continet,
Deumq; ſolum cogitat,
Tuumq; amorem. feruide,
Immenſe, nulli effabilis
Amor, beatis ſedibus
Tu maximi natum Dei
Deducis, ipſiq; induis
Mortale corpus: aſperam
Dein tollis illud in crucem.
Amabilis, dulciſsime
Amor, meis in ſenſibus
Tantas amoris excita
Flammas, vt vſtis nexibus
His ponderoſi corporis,
Alis tuis ad optimum
Ieſum beatus aduolem.

Hym-

Hymnus tertius de ardenti amore erga Chriſtum.

AMore totus langueo,
Nec vlla iã dat̃ quies:
Ieſu benigne, iam meam
Solare mentem, candidos
Oſtende vultus, lumine
Tuo beata lumina
Fac mea, nec oſculum precor
Amans amanti denega.
Tu ſponſus es animæ meæ,
Te quærit illa, lachrimis
Te continenter inuocat.
Tu ſanctè mortis è manu
Tuo redemptam ſanguine,
Tuiq; amore ſauciam
Odiſſe certè non potes.
Ergo miſe . cur tuæ
Dulcedinem præſentiæ
Non ſentit? ah cur ſupplices
Venti querelas diſsipant?
Sed tu licebit anxio
Amantem amore torqueas,
Non illa amare deſinet.
Ieſu, tui tabeſcere
Amore, res dulciſsima eſt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google